Gulielmus Normannorum dux, Ludovicum Franciæ regem A Henrico I. Cæſari conciliaturus, Cæſari occurrerat cum quingentis equis, reliquum exercitum ſenſim jubens ſequi. Erant inter Saxones, qui dicerent Cononi duci: Ea verò eſt magnificentia, quam in cœlum tuliſti, quingentis accedere militibus? Gulielmus re diſſimulata, poſtera luce præmiſit in urbem militum validam manum, ut loca caperent venturo exercitui. Illi tum ferociùs agebant, aſſueti portas convellere, muros diruere, & inſolentiùs in captis urbibus agere. Prævenerat cæteros Henricus Cæſar: & exaudita per clamorem tumultuoſum Normanorum inſolentia, jubet egredi Cononem, & compeſcere vim, atque ferociam. Ille profectus ad Gulielmum, orat, jubeat conquieſcere vim militum, ne ad tumultum res perveniat. Vade, inquit Cononi, dic verbis meis, ut modeſtiùs agant. Ille concitò, Jubet, inquit, Gulielmus, & ego rogo, ut moderatiùs agatis. At illi expellunt reſiſtentes, & inſiliunt. Reverſus ad Gulielmum Conon: Per Deum, inquit, & quicquid ſanctum eſt, oratus adſis: ne conventus pacis gratia inſtitutus, in magnum, & cruentum bellum exſurgat. Tum Gulielmus, miſſo per manum Cononis gladio, jubet, quieſcant. Illi enſe viſo mox vultus deiiciunt, modeſtiùs agunt, militaremque diſciplinam ſervant. Voluit Gulielmus Saxonibus oſtende- B re, contemptoribus ſuis, quales milites haberet. *Crantzius l.2. Norvegiæ c.32.*

CELARE, OCCULTARE
PRUDENTER
Conſultationem.

Mos olim Rom. Senatoribus fuit, in curiam cum prætextatis filiis introire. Cùm in ſenatu res major quæpiam conſultaretur, eaque in diem poſterum prolata eſſet, placuit, ut hanc rem, ſuper qua tractaviſſent, ne quis enunciaret, priuſquam decreta eſſet. Mater Papyrii pueri, qui cum parente ſuo in curia fuerat, percontatur filium, Quidnam in ſenatu egiſſent patres? Puer reſpondit, tacendum eſſe, neque id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior, ſecretum rei, & ſilentium pueri, animum ejus ad exquirendum everberat. Quærit igitur compreſſiùs, violentiuſque. Tum puer, urgente matre, lepid, iatque feſtivi mendacii conſilium capit. Actum in ſenatu dicit, Utrùm videretur utilius, magiſque ex rep. eſſe: unuſne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta eſſet? Hoc ubi illa audivit, animo compaveſcit: domo trepidans egreditur, ad cæteras C matronas affert. Poſtridie ad ſenatum copioſæ matrum familias catervæ confluunt: lacrymantes, atque obſecrantes orant, una potiùs ut duobus nupta fieret, quàm uni duæ. Senatores ingredientes curiam, quæ illa mulierum intemperies, & quid ſibi poſtulatio hæc vellet, mirabantur: & non ut parvæ rei prodigium, illam verecundi ſexus impudicam inſaniam paveſcebant. Puer Papyrius publicum metum demit. Nam in medium curiæ progreſſus, quid ipſi mater audire inſtitiſſet, quid matri ipſe ſimulaſſet, ſicuti fuerat, enarrat. Senatus fidem, atque ingenium pueri exoſculatur: conſultumque facit, uti poſthac pueri cum patribus in curiam non introeant, præter illum unum Papyrium: eique puero poſteà cognomentum, honoris gratia, decreto inditum, Prætextatus: ob tacendi, loquendique in prætextata ætate prudentiam. Hoc cognomentum poſteà familiæ in nomen hæſit. *Macrob. l.1. Satur. c.6. & Gell. l.1. c.23.*

Senatus Romanus per multos dies, remotis aliis, de re quapiam ſecreta deliberabat. Quod cùm multos ſuſpenſos teneret cogitantes, quid rei ageretur femina cætera modeſta, femina tamen, importunè virum ſuum, & magnoperè ora- D bat, ut declararet ſibi illud arcani. Jam juramenta, & devotiones tacituram ſe offerebat, querebaturque cum lacrymis, non haberi ſibi fidem. Cujus ut Romanus hic detegeret ſtoliditatem. Expugnas, inquit, me mulier. Accipe rem atrocem. & prodigioſam. Nunciatum nobis ab auguribus eſt, Caſſitam cum galea aurea, & haſta viſam volantem. Hoc portentum conſideramus, fauſtum, an infauſtum ſit, augureſque conſulimus. Cæterùm tu tace. Sic fatus contulit ſe ad forum. Hæc ancillam, quæ prima ingrediebatur, appellans, pectus ſuum tundebat, capillum vellebat, dicebatque: Heu virum meum, & patriam: quid nobis fiet? volens, & docens ancillam dicere, quidnam rei eſt? Cui ut percontatæ rem expoſuit, clauſulamque omnis garrulitatis adjecit communem: Cave, hæc cuiquam dixeris, ſed ſile: vix ancilla ab ea eſt digreſſa, quin actutum ei ex aliis ancillis, cui maximè videbat otium eſſe, obiicit dictum: illa amatori, qui eam adiit, enunciat. Ita cùm in forum fabula dimanaſſet, ut præcurrerit rumoris auctorem: ex familiaribus quiſpiam factus ei obviàm. Modòne, inquit, domo ad forum venis? Modò admodum, in fit ille. Ergo nihil audiſti? Nunquid no- E vi? Caſſita viſa eſt volans cum galea aurea, & haſta. De hoc ſenatum conſules habituri ſunt. Tum ille arridens: Satis, inquit, ſtrenuè, mulier. Nempe tibi quod dixi, pergentem ad forum me prævertit. Ac Conſules quidem appellans, diſcuſſit terrorem: cæterum uxorem hoc modo ultus eſt. Ut domum eſt ingreſſus: Perdidiſti, inquit, me, mulier; Arcanum illud è domo meà compertum eſt elatum in vulgus fuiſſe. Quamobrem ex tua impotentia eundum eſt mihi in exilium. Quæ cùm ad inficiandum ſe converteret cauſareturque: An hoc tu cum trecentis audiſti? Quibus, inquit, trecentis? te ut probarem hanc finxi fabulam. Hic quidem tutò, & cautè quaſi in dolium carioſum, non vinum, non oleum, ſed diffundens aquam, uxoris periculum fecit. *Plut. de Garrulitate.*

Gallica, & Cæſarea factio inter Venetos patricios ultra quam libertas patriæ fineret, tam altas egerat radices, quo tempore calamitoſum illud cum Solymanno bellum geſſere, ut cuncta Senatus decreta, inexorabili anteà ſilentio religiosè cuſtodita, non modò ad præſentes legatos Cæſaris, & Galli, ſed in provincias quoque literis emanarent. Erant ex ordine Rogatorum, qui dicerent ſententiam, & in ſuffragium irent homines fermè ducenti. Hac multitudine offenſus Marcus Foſ- F carus, ſenator prudentiſſ. ad quinquaginta viros, qui uſu rerum, fide, charitateque patriæ probarentur, graviſſimi, atque maximè arcani conſilii ſummam revocabat. Ita rebatur, multorum inſaniam paucorum ſapientia ſuperari. Sed tanta mox Foſcarus invidia deflagravit apud multitudinem, cùm ea ſe conſiliis excludi, notarique infamia levitatis, atque imperitiæ minimè pateretur, ut vir ille inter ſummos ſenatores facilè excellens, Rogatorum ordine ſit ejectus. Verùm ei non multò poſt, quod divinè, & ſapientiſſimè providiſſet, magnæ gloriæ ceſſit, detectis his, qui reip. arcana prodiderant, non Chriſtianis modò, ſed & per illos ipſi Solymanno. *Sabellici Supplem. l.23. ex Jovio.*

Cùm Franciſcus Carmaniola ſummo mane ad Franciſcum Foſcarum Venetorum ducem veniſſet, cauſamque quæreret, Cur totam noctem Senatus habitus eſſet, qui paulò antè dimiſſus erat? Ecquis alius, reſpondit, quàm tu auctor fuiſti? Egimus de tuis laudibus, deque tuo augendo ſtipendio, donandoque tibi oppido, ubi malles. Ita igi- G tur nihil ampliùs ſuſpicatus mali Carmaniola carceri incluſus, non multò poſt ſupremo ſupplicio propter tentatam proditionem affectus eſt. *Egnat. l.7. c.2.*

Conjurationem.

Sublato Hipparcho Athenienſium tyranno ab Ariſtogitone, & Harmodio: Hippias Leænam tyranni ſcortum in quæſtionibus examinavit, ut conjurationis ſocio indicaret. Illa pro virili parte reſtitit: ſed tormentorum vi ſuperata, ſuam ipſa linguam abſcidit. *Polyænus l.8. & Fulgoſus l.3. cap.3. & Sabell. l.5. c.8.*

Cùm Zeno Eleates Agrigentum veniſſet, & ſperaſſet, & tyranno, & Phalaridi væſanæ mentis feritatem præceptis virtutum eripere: ſed fruſtrà tentaſſet omnia: nobiliſſimos ejus civitatis adoleſcentes cupiditate liberandæ patriæ inflammavit. Cujus rei fama cùm ad tyrannum manaſſet, convocato in forum populo, torquere eum vario cruciatus genere cœpit, ſubinde quærens. Quoſnam conſilii participes haberet? At ille nec eorum quempiam nominavit, & proximum quemque, ac fidiſſimum tyranno ſuſpectum reddidit: increpitanſ- H que Agrigentinis ignaviam, ac timiditatem, effecit, ut ſubito mentis impulſu concitati, Phalarim lapidibus proſternerent. *Val. Max. l.3. c.3.*

Epicharis mima, conſpirationis Piſonianæ nomine adversùs Neronem tormentis ſubjecta nunquam eò adduci potuit, ut confeſſione ſua rem ullam aperiret: ſed potiùs ſoluta zona ſeipſam in lecto ſtrangulavit. *Suetonius.*

Jo. Bonetus Veronenſis, cùm ab Ecelino Romano, Veronæ, ac Tarviſinæ Marchiæ principe crudeliſſimo, Patavium ad prætorem Anſedinum ipſius crudelitatis miniſtrum miſſus eſſet: diù promiſſis allectus, deinde tormentis diſcruciatus, initæ in tyrannum conjurationis quoſdam nominaret, quos ipſe inſontes norat: ne fortè doloris magnitudo ad ea dicenda cogeret, quæ ipſe ſponte ſua nunquam faſſurus erat, in ipſius prætoris conſpectu ſibi ipſi dentibus linguam abſcidit: atque haud multò poſt inter tormenta defecit. *Ful. lib.3. cap.3.*

Factum

Factum.

A Samuel propheta, ne Saul rex reſciſceret unctionem Davidis in regem, ſimulavit ſe Bethlehem ſacrifici cauſa proficiſci. 1. *Reg.16.*

Themiſtocles patriæ mœnia, & portum Piræum extructurus, cùm id Spartanos non laturos ſciret, omnibus ad opus paratis, miſit ad eos legatos, qui docerent, rebus Græciæ communibus maximè neceſſarium prorſus eſſe, uti portum quendam idoneum adversùs Perſarum incurſationes ſibi præpararent. Quare propoſita, dum diù conſultatione implicarentur ambigua, ne ad extructionem portus prohibendam magnoperè intenderent, quod jam antè ſemel fecerant, ille incredibili celeritate portum ampliſſimum extruxit. *Diod. lib 11.*

Proditur memoriæ, Periclem Athenienſium principem, vim pecuniæ non parvam ſub proditionis conditione Cleandro, & Pliſtonnacti Lacedæmoniorum Ephoris erogaſſe. Mox cùm adminiſtrationis rationem repeteret civitas, nolens, vir prudentiſſimus ſe ſimul, & Lacedæmonios deformare, adſcripſit, εἰς τὸ δέον ἀνήλωσα: quo utique ſignificabat, bono publico erogatam pecuniam: *Cælius l.11. c.8. Antiq. Lect.*

Bardilo Vicentinus, cùm adverſæ factionis falſis accuſatio- B nibus premeretur, & propterea magiſtratu diſquiſitione habita torqueretur: cùm tormentis putaretur adduci poſſe, ut falſa fateretur, & ita perdi poſſet: priùs verbis ſe excuſavit, ne dolore vinci crederetur; deinde dentibus linguam abſcidit, ſanguineque inde largiùs manante, periit. *Fulg. l.3. c.3.*

Mortem.

Othonis III. Imp. veneficio, Creſcentis uxoris apud Paternum Lombardiæ ſublati cadaver aromatibus refertum, & veſtibus regiis ad occultandam mortem ornatum, ſimulque ipſa Imperii inſignia Milites tulerunt, eaque quamvis infeſtis Italicorum incurſionibus appetiti, acriter armis defenſa tutò Auguſtam uſque ſpecie alacres deportarunt. *Sig. l.7. rer. Ital.*

EXPLORARE, EXPISCARI, ELIGERE
PRUDENTER.

☞ *Modus expiſcandi, & deprehendendi, Prudentiæ in inveniendo eſt. Ipſa alioqui deprehenſio, & cognitio, ad Prudentiam in indicando quoque referri queat,*

Dei iram explorare.

Palæſtini, cùm capta Dei Iſraelitarum arca, & dyſenteria, & muribus crudeliſſimè vexarentur, quamcunque in civitatem C arcam deportaſſent: conſilium ceperunt de arca Iſraelitis remittenda: quam ſi vaccæ duæ nullo adhibito cuſtode rectè Bethſamen in terram Iſraelitarum veherent, indicio fore, ab eorum Deo ſe tantis malis affectos: ſin minùs, caſu hæc ſibi accidere, non Dei ira. Vaccæ igitur, inſequentibus Palæſtinorum proceribus, arcam rectà Bethſamen pertraxerunt. Inde Gabaam miſſa eſt. 1. *Reg.6.*

David rex, arcam Dei, quæ XX. annis Gabaæ in domo Abinadab manſerat, in urbem ſuam Hieroſolymam vehendam curavit. At cùm Oza Abinadab F. propter tactam manu arcam (cùm propter boum, qui eam ducebant, agitationem nutaſſet) ſubitò mortuus concidiſſet: veritus David tantam numinis ſeveritatem, arcam ad ſe admittere non fuit auſus, ſed in domum Obededom Gethæi intulit, ubi illa tres menſes fuit: Cæterùm cùm Dominus Obededom, ejuſque domum propter arcæ hoſpitium divitiis, & fœtura beaſſet, David animo recepto, eam cum ſolemni pompa Hieroſolymam intulit, 2. *Reg.6.*

Ingenium.

D ☞ *Conſule Tit. Indolis exploratio, Illic Subiecti habetur ratio, hìc Prudentiæ circa Subiectum verſantis.*

Ægyptiorum regem periclitandi gratia, cujuſmodi foret in Pittaco prudentia, proditum memoriæ eſt, integri animalis carnes ad eum tranſmiſiſſe, petentem, ſecerneret inde, quod optimum cenſeret, rurſumque quod peſſimum. At is unam modò linguam eximens ad eum referri juſſit, ſymbolicè innuens, atque opertè, in ea corporis portione ingentium ſæpè honorum latere ſomites, nec deeſſe tamen, ſi prodiga ſit, & infrænis, maximarum cladium organum, ac ſcelerum quodammodo incluibilium ſcenam. *Cælius l.13. c.5. Antiq. Lect.*

Chilo hominum bonitatem ita auro probari, quemadmodum aurum lapide lydio, affirmavit. *Plut. in Apopb.*

Anacharſim autumant, cùm ad ædes Solonis commeaſſet, fores pulſaſſe, atque edidiſſe advenam ſe eſſe, qui ad contrahendam cum eo amicitiam, & jus hoſpitii eò acceſſiſſet. Reſponſum reddente Solone, Præſtat domi amicitias conciliare: Quin tu igitur, ſubjeciſſe Ancharſim, qui domi es, jungis no- E biſcum amicitiam, & hoſpitium; Eam illius ſagacitatem cùm ſtuperet Solon, hominem excepiſſe benignè, atque aliquamdiù apud ſe detinuiſſe, cùm Rempublicam gereret, & leges conſcriberet. *Plut. in Solone.*

Dionyſius major, duos juvenes acceperat multis probris ſe, dominatumque ſuum inter pocula aſperſiſſe. Hos invitavit ambos ad cœnam: quorum cùm videret alterum debacchantem, ac multas nugas per vinum evomentem, alterum non temerè, ſed cautè poculis indulgentem, illum noxa exemit, ut natura debacchatum, atque ex crapula in convicia effuſum: alterum ut infeſtum ſibi, & hoſtem ex compoſito ſuſtulit. *Plut. in Regum Apoph.*

Cùm inter alios legatos de redimendis captivis ad Pyrrhum etiam veniſſet C. Fabricius, ejuſque paupertatem regi oſtendiſſet Cineas: Pyrrhus, cùm eum privatim benignè haberet, contendit primò, ut aurum à ſe acciperet: amicitiæ id, & hoſpitii appellans pignus: Abnuente illo, tacuit in præſentia. Poſtero die quò eum exterreret, quòd nunquam vidiſſet elephantem: imperavit, ut maximam belluam colloquentibus ipſis à tergo admoverent poſt aulæam: quod fa- F ctum eſt. Tum ſigno dato, remota eſt aulæa, & proboſcidem bellua repentè ſublatam ſuſpendit ſuper caput Fabricii, vocemque emiſit horrendam, & aſperam. Ille verò ſenſim converſus arriſit, & ad Pyrrhum ait: Neque heri aurum tuum me, neque bellua hodie commovit. Super cœnam deinde cùm incideret mentio Epicuri, & ejus opinionem de voluptatis ſummo bono Cineas approbaret: Fabricius: Papæ inquit, Pyrrho hæc præcepta, & Samnitibus, dum nobiſcum bellum erunt, cordi ſunt. Unde admiratus gravitatem ejus Pyrrhus, & pacem cum Romanis facere voluit, & Fabricium permovere, ut ſecum viveret offerens ei primum locum inter amicos ſuos, & duces. Cui ſubmiſsè fertur reſpondiſſe: Atqui non fuerit id rex è re tua. Nam illi ipſi qui nunc venerantur, & ſuſpiciunt te, ſi me probaverint, me præoptent regem tibi. *Plut. in Pyrrho.*

Cùm ſuperiores Impp. Diocletianus, & Maximianus omnes Chriſtianos à ſua aula expuliſſent, Conſtantius Chlorus, pius princeps, volens experiri, Ecquos haberet adhuc in aula ſincerè Chriſtianos? omnes tum aulæ miniſtros, tum, qui ſub præſidum erant poteſtate, in cœtum convocat, optionem ſe ejuſmodi illis ferre ſimulans, ut qui dæmonibus ſacrificarent, in aula ſua manerent, ac conſuetis honoribus fungerentur, ſi G qui verò idem facere recuſarent, ex aula exirent, atque ab omni ſua conſuetudine, & gratia ſe excluſos ſcirent. Ad hanc conditionem aulico omni cœtu in duas partes diviſo, deprehendit Imperator, qui verè, & conſtanter pii, qui minùs eſſent: cùm atii ſe ſacrificaturos ultrò dicerent, alii palàm, & confidenter negarent. Hic jam Imperator eos, qui ſacrificare voluiſſent, duriter objurgat, atque ut proditores Dei, & perfidos damnat, indignos eos eſſe aſſerens, qui cùm in Deum perfidi ſint, cum Imperatore eſſent; ideòque ab imperatoria aula procul arcendos eſſe ſtatuit. Eorum verò, qui ſacrificare detrectaſſent, conſcientiam, qua Deum confeſſi fuerant, ſummis effert laudibus: dignos eos ſolos eſſe pronuncians, qui apud Imperatorem eſſent: ſimul præcipiens, ut deinceps, & regni, & ſalutis ſuæ cuſtodes ſibi permaneant, illud ſimul addens: Tales ſolos dignos eſſe, quos inter amicos Imperator numeret, ac in majori honore, & pretio habeat, quàm magnorum theſaurorum æraria. *Euſeb. l.1. de vita Conſtantini, & Sozomenus l.1. c.6.*

Mos eſt apud illuſtriores Gothos, & Sueones, procorum ingenia examinare in ludo Latrunculorum, ſeu Schaco- H rum. Eo enim ludo ira, amor, petulantia, avaritia, ſocordia, ignavia, aliæque plures dementiæ paſſiones, & animi motus, fortunæque vires, & proprietates demonſtrari ſolent: ſcilicet an procus agreſtis animi ſit, quòd ſubito triumpho indiſcretè exultet, aut injurias illatas cautiùs pati, vel modeſtiùs avertere norit. *Olaus l.15. c.12.*

In monte Varcio oppido Hortulanus prope Florentiam mulieris explorandæ cauſa, in terra mortuo ſimilis reſupinus procubuit. Uxor cùm domo onerata linteis veniſſet, invento mortuo, uti credebat, marito, hærebat animo, ſtatimne viri mortem lamentaretur, an priùs comederet. Fame ergo urgente cibum cepit: & cùm ſitiret propter carnes ſalitas, vinum ex cellario hauſtura deſcendit. Supervenit ex improviſo vicina ignis petendi gratia. Mulier abjecto urceolo exclamare cœpit, & mortem viri multis verbis plangere. Supervenere ad ululatum, ploratumque vicinia omnis, viri, ac mulieres, ob mortem

tam

tam repentinam. Tandem cùm viſum ei eſſet ſatis ludorum A dediſſe, vociferante muliere, ac dicente ſæpiùs: Mi vir, quomodo nunc faciam; Ille apertis oculis: Malè, inquit, Uxor mea, niſi cibum potu diluas. Ex lachrymis ad riſum omnes converſi ſunt, audita præſertim fabula, & cauſa ſitis.

Fraudem.

Otanes Perſarum ſatrapa, cùm Smerdes regnum invaſiſſet, neque conſtare Cyrine filius eſſet, an magus Smerdes, quia ſeſe in arce occultabat, neque progrediebatur: Phædynam filiam ſubornat, ut quando cum Smerde cubaret, caput illius clàm pertentaret, aures haberet, necne. Paruit illa, quamvis non ſine periculo. Cùmque auribus carentem deprehendiſſet, rem patri indicavit. Ille cùm ſex aliis conjurat contra Magum, & Perſas fœda Magorum tyrannide liberat. *Herodotus l.3.*

Ulyſſes inſania ſimulata, ne ad bellum Trojanum proficiſceretur, ſalem ſeminabat, variiſque animalibus aratra jungebat. Aſtum hominis exploravit Palamedes, qui aranti Telemachum filium objecit. Quem ne læderet, ipſe Ulyſſes pater aratrum ſuſpendit. *Cic. l.3. Offic.*

B Auguſtus Cæſar in Pſeudalexandro, qui ſe Herodis filium ſimularat, cognoſcendo, prudens extitit. Cùm enim is per cetera ſimillimus eſſet Alexandro Herodis filio à patre interfecto, fingebat ſe morti ſubtractum cujuſdam beneficio, cui demandatum ſit ejus interficiendi negotium. Eoque nomine à quam plurimis Judæis etiam Romæ ſuſceptus fuit. At Auguſtus cùm eum, & manus opere duratas habere, & corporis illa gratia, quæ benè natis, & educatis adeſſe ſolet, carentem videret, fraudem ſuſpicatus eſt. Sed impunitate fatenti promiſſa, ille totum commentum indicavit, quibus modis, & à quo ſit compoſitum. Cæſar Pſeudalexandrum, ut pollicita ſervaret, in remigum ordinem allegit, quòd eſſet valido corpore: doctorem verò ejus affecit ſupplicio. *Joſephus l.17. cap.... Antiq.*

Magnus Athanaſius, Epiſcopus Alexandrinus, ab Arianis, & Euſebianis in ſynodo Tyria accuſatus fuerat, quòd virginem vitiaſſet. Producitur in medium impudens meretricula, quæ ab Athanaſio hoſpite noctu ſe vim paſſam fuiſſe profitetur. Sed Timotheus presbyter, comes Athanaſii, cùm Athanaſius accuſationi mulierculæ reſpondere juſſus fuiſſet, & taceret, conſilium ejus animadvertens, ipſe ad mulierem C converſus: Mihine, inquit, res tecum fuit unquam, aut hoſpitio tuo uſus ſum, mulier; Tum illa, quæ Athanaſium non cognoſcebat, impudentiore quàm anteà vociferatione, Timotheum digito demonſtrans. Tu, inquit, mihi vim, & vitium obtuliſti. Hac ratione per ſe detectum eſt mendacium, quòd cùm Athanaſium non cognoſceret, ſe ab eo ſtupratam eſſe aſſereret. Ergo muliercula dimiſſa eſt, quamvis repugnante Athanaſio, & eos, à quibus ſubornata fuiſſet, indicari ſibi petente. Poſteà cùm eidem objeciſſent, Arſenium quendam Meletianorum Epiſcopum ab Athanaſio interfectum eſſe, & dexteram ejus veneficiorum gratia reſectam (quam & in arcula oſtendebant) curavit Athanaſius Arſenium in Ægypto undique quæri. Non tamen inventus fuit; ſed divina providentia compulſus, Tyrum incognitus venit, cupiditate videndi, quæ contra Athanaſium agerentur. Ibi ab Archelai viri conſularis famulis agnitus, & in ſynodum productus, Athanaſii innocentiam atteſtatus eſt. *Theodoretus l.1. c.29. & Socrat. l.1. c.27.*

Furtum.

D ☞ *Vide Titulum, Judicum prudentum.*

Corinthi rex Siſyphus, calliditate inſignis pedibus animalium nomen ſuum μονογράμματον, id eſt, literis ſingularibus ſolitum ſuppingebat, Autylochus verò ejus temporis fur illuſtris, rapto quæſitorum interpolare formam aſſuetus, cùm Siſyphi armenta rapuiſſet, nihilo ſeciùs argumento aliàs non audito eſt deprehenſus. Quo nomine conflata mox amicitia, Anticliam filiam Siſypho tradidit uſuariam, quæ poſt utero gravius Laerti nupſit, unde Ulyſſes traditur natus. Quod in Ajace maſtigophoro Sophoclis teſtantur interpretes: inde mutuatus retulit *Suidas. Cælius libro* 11. *capite* 9. *Antiq. Lect. Polyænus lib.6.* cum plumbo veſtigiis adaptato, & his literis inſcripto: Autylochus furatus eſt, vicinis agricolis furtum indicaſſe ſcribit.

Cùm Hiero Syracuſis aucta poteſtate auream coronam votivam aurifici ex puro auro locaſſet faciendam: is tantundem argenti coronæ admiſcuit. Cæterùm cùm Hiero fucum deprehendere non poſſet, rogavit Archimedem, uti in ſe ſibi ſumeret de eo cogitationem. Is veniens in balneum, cùm in E ſolium deſcenderet, animadvertit, quantum corporis ſui in eo conſideret, tantum aquæ extra ſolium effluere: gaudio motus exſilivit de ſolio, & nudus domum verſus currens, clara voce ingeminabat, εὕρηκα, εὕρηκα. Tum duas dicitur feciſſe maſſas æquo pondere, quo etiam fuerat corona, unam ex auro, alteram ex argento. Deinde vas amplum ad ſumma labra implevit aqua, in quod demiſit argenteam maſſam. Cujus quanta magnitudo in vaſe depreſſa eſt, tantum aquæ effluxit. Ita exempta maſſa, quantò minùs factum fuerat, refudit, ſextario menſus, ut eodem modo, quo priùs fuerat, ad labra æquaretur. Ita ex eo juvenis, quantum ad certum pondus argenti certa aquæ menſura reſponderet. Cùm id expertus eſſet, tum auream maſſam ſimiliter pleno vaſe demiſit, & ea exempta, eadem ratione menſura addita, invenit ex aqua non tantum defluxiſſe, ſed tantum minùs, quantum minùs magno corpore eodem pondere auri maſſa eſſet, quam argenti. Poſteà verò repleto vaſe in eadem aqua ipſa corona demiſſa, invenit plus aquæ defluxiſſe in argenteam, quàm in auream eodem pondere maſſam. Et ita ex eo quòd plus defluxerat aquæ in corona, quàm in maſſa, F ratiocinatus, deprehendit argenti in auro miſtionem, & manifeſtum furtum redemptoris. *Vitruvius l.9. c.3.* Quod tamen *Proclus* Geloni regi attribuit *l.2. c.3.*

Cùm quidam inter Turcas, penes amicum ſuum, nemine conſcio, pecuniam depoſuiſſet: is, cùm ea repeteretur, quicquam accepiſſe negaret, fretus amicitia Imperatoris, res defertur ad Imperatorem. Is utrumque interrogat, & deprehendit, penes quem pecunia eſſe dicebatur, non ut ingenuum decet, atque innocentem, turbulentè inficiari: alterum contrà, non fictis lacrymis conſtanter affirmare. Rem tamen in alium diem protrahit, reumque per alios monet, ut ſpontè pecuniam reddat, ſuæq; famæ conſulat. Cùm verò ille tum audaciùs denegaſſet, rurſus Imperatoris inopinantem ad ſe adduci juſſit. Poſtulat, num proxima nocte cum uxore dormierit, & an cum ea rem habuerit, & qua hora. Cùmque utrumque ab eo didiciſſet: juſſit alium adire uxorem, veluti ſi à marito mitteretur, qui diceret, Virum ejus mandare, ut quam ei cuſtodiendam pecuniam credidiſſet, hanc per ſe nuncium mitteret. Si loquenti fidem non haberet, narrare ea, quæ à marito acceperit. Uxor his victa ſermonibus, pecuniam promit. Sic itaque detecta perfidia, Imperator in eum capite animadvertit. G *P. Ærodius l.1. Decretorum.*

Proditionem.

Pauſanias Lacedæmonius, victis ad Platæas Perſis, ſucceſſu rerum elatus, clam cum Xerxe ſentire cœpit, ſpe facta unius filiarum regis, ſi Græcos proderet. Ut res occulta foret, nuncii omnes, quicumque epiſtolas ad regem tuliſſent, necabantur, ne ullum occultæ indicium rei exſtaret. Quod quidam ex tabellariis animadvertens (Probus Argilium vocat) epiſtolas ſibi creditas aperit: certiorque inde fit legendo, de tabellariorum nece jam ſuſpecta, ac ſtatim eas ad Ephoros affert iis propter reſignatas literas poſtulantibus rem certiori indicio ſibi probari, tabellarius profectus Tænarum, in templo Neptuni conſidens, duplici circum ſeſe tabernaculo ſepit, atque in altero ſe collocat, in altero Ephoros cum quibuſdam aliis Spartiatis occulit. Mox Pauſanias illuc ad eum properat, & percontanti, Quænam cauſa eum ad deorum aras ſupplicem confugere compuliſſet; Ille reſpondens, conqueri multa cœpit, & eum accuſare, quòd in epiſtola mandaſſet, ſe à Perſis necari. Tum Pauſanias multa H præfari, pœnituiſſe ejus rei ſe, veniamque orare: tum obſecrare, obteſtarique, uti ea occulta eſſe ſinat: amplam ſpem, immenſaque illi dona, ſi id fecerit, pollicetur. Ephori comperta palàm veritate, rem ſilentio tegunt, ſatiùs putantes in urbe eum comprehendi. Quo cùm eſſent profecti, & Pauſanias placato Argilio (ut putabat) Lacedæmonem reverteretur: in itinere, cùm jam in eo eſſet ut comprehenderetur, cognitis inſidiis, in Chalciœci Minervæ templum confugiens, ibi obſtructis foribus fame periit. *Probus in Pauſania, & Diodorus l.1.*

Cædem.

Neleus Codri filius, cùm regno pulſus Athenas relinqueret, propterea quod oraculum Apollinis Medonti (qui in coloniam ex urbe migraverat) Imperium deſtinaret, ad Naxum non voluntate, ſed tempeſtate delatus appulit. Solvere verò inde volentem contrarii venti exorti prohibuerunt. Qui cum

quid

quid facto opus eſſet, ambigeret, vates reſponderunt: Oportere A expiari, & purgari exercitum, eò quòd multi ſimul navigarent, qui pollutis, & contaminatis eſſent manibus. Itaque ſimulavit etiam ipſe ſe puerum trucidaſſe, & purgationis indigere. Sic aliis quoque, qui ſibi cædis conſcii eſſent, perſuaſit. Quod cùm factum eſſet, patefactis, qui ſe contaminaſſent, eos reliquit. Illi Naxum inhabitarunt. Neleus pervenit in Joniam. *Ælian. l.8. de Var. hiſt.*

Jacta in præceps Apronia Plautii Sylvani prætoris, cùm in nullum alium ſuſpicio caderet, neque eſſet ullus, qui de facto quicquam vel audiſſe, vel vidiſſe ſe diceret: Sylvanus ad Tiberium Imperatorem adductus eſt. Huic de morte uxoris interroganti, quia turbato animo, & quaſi à ſomno rediens reſpondiſſe viſus eſt, Uxorem ſpontè ſibi mortem conſciviſſe: quæſtionem exercens ipſe Tiberius, in cubiculum venit, ex quo ſe Apronia præcipitem dediſſe, à marito dicebatur. Ibi cùm reluctantis, & impulſæ veſtigia, pedum, manuum, unguiumque contactu feneſtris impreſſa viderentur: ex mendacio conſcium eſſe judicavit: ſed ob Prætoriam dignitatem hunc ab amicis ſententiæ ſuæ admoneri voluit. Itaque Plautus damnationem antevertit. *P. Ærod. ex Cornelii Taciti l.4.*

B Theophilus Imperio potitus, nihil priùs habuit, quàm ut eos, qui patri Michaeli Balbo Amorrhæo ad regnum obtinendum adjumento fuerant, Leonemque Armenium Imperatorem interfecerant, ſuppliciis adficeret. Quorum ne quis lateret, toto Senatu in Regiam convocato, ſe mandatum paternum velle exequi, dixit. Nam cùm is Imperii parti adjutores, inquit, magnis honoribus, atque donis remunerari cuperet, morte præventus, ne ingratus erga pene meritos videretur, me ſucceſſorem ſuum ejus debiti ſolutorem reliquit. Proinde amici paterni, ſedentes ex multitudine, nobis ſeſe oſtendant, ut eis dignam mercedem rependamus. Hac oratione decepti miſeri, quotquot Leonis cædem adjuverant, ſeipſos indicaverunt. At Theophilus urbis præfectum civiles exequi leges juſſit: Jam nunc, inquiens, præfecte, judicandi poteſtatem Deo, & me tibi mandantibus, dignam his mercedem factorum perſolve: qui non tantùm humano ſanguine manus contaminarunt, ſed & unctum Dei intra ſacrarium interfecerunt. Miſeri illi à præfecto arrepti, homicidarum more ſuppliciis affecti ſunt. *Cedrenus ex Zonara.*

Adulterium.

C Venus, Vulcani uxor, cùm maritum ob deformitatem corporis, & claudum, non magnoperè amaret, dum is eſſet fabrilibus operibus intentus, clàm cum Marte bellorum deo adulterium committebat. Gallum juvenem ſecum Mars adducebat cuſtodem, quem relinquebat ad oſtium, ut adventantes nunciaret, obſervaretque: Solem præcipuè, quem maximè omnium deorum Mars metuebat, ne rem Vulcano indicaret, propter ſingularem inter illos amicitiam. At Gallo obdormiente Sol rem conſpexit, Vulcanoque indicavit. Mars Gallum in animal ſui nominis convertit: quare nunc etiam Solis exortum inſigni vociferatione indicat, quaſi Marti ſignificaturus, ut Solem caveat. Vulcanus tenuiſſimum rete ferreum confecit, & circa thorum ita tetendit, ut conſpici non poſſet. Mox utroſque nudos in illo reti implicatos, omnibus diis deridendos expoſuit. *Ovid l.2. de Arte amand. Homer. Odyſſ.* ϑ. *Natalis Comes Myth. lib.2. cap.6.*

Inſidias.

D Joſephus hiſtoricus, Galilææ præfectus, cum populum à ſeditione cohiberet, omnibuſque gratiſſimus eſſet, invidorum calumniis circumventus, à Jonatha miſſo à Pontificibus Hieroſolymitanis, ſpecie colloquii evocabatur, revera autem ut militibus deſtitutus interficeretur. Ille militi, qui epiſtolam attulerat, viginti drachmas numerari juſſit. Pro quibus cùm is gratias egiſſet, facilè deprehendit juvenis ingenium turpi lucro deditum, & ad bibendum invitavit, pro cyatho vini quolibet ſe drachmam numeraturum pollicitus. Qua ſpe illectus, mero copioſo hauſto, ſuapte ſponte inſidias adverſum Joſephum adornatas detexit. *Joſephus in ſua vita.*

Accuſationem falſam.

☞ *Ex Tit. Defendere ſe prudenter huc quædam.*

Syracuſæ Dionyſii tyrannide opprimebantur: quas Dion cùm parum aberat quin ſervitute liberaſſet, Soſis concitato populo, Stultos, & væcordes Syracuſanos eſſe dicere incipit, qui non intelligerent, hoc agi à Dione, ut pro temulento, & crudeli tyranno, ac Domino, vigilantem, ſobrium, atque ſapientem experiri poſſint: non ut dominatus, ſed domini permutatio fiat. His ſanè concionibus, quia ſe pro Dionis inimico, E & acerbiſſimo adverſario haberi cognoſceret: poſtero die nudus, & ſanguinolentus, uti aliquos fugiens prodit ſub oculos civium, identidem clamitans, vix ſe Dionis ſatellites elapſum, ſed & in capite oſtentabat cruda, ac recentia vulnera. Itaque ſumma inde excitata eſt erga Dionem populi Syracuſani indignatio. Accuſationi fidem faciebat heſterna Soſidis adversùs eum habita libertatis, fiduciæque plena oratio: à quo enim hæc potiùs injuria, quam ab inimico? Iſtud jam verè tyrannidem uſurpantis, non opprimentis, videri poſſe, & ejus qui minùs tyrannidem, quàm Dionyſium, odio proſequatur. Quare citatur Dion. Is cùm protinus Soſidem fratrem unius eſſe è Dionyſii militibus indicaſſet, ideòque veriſimiliter ab eo ſummiſſum, qui nihil ampliùs vi, & virtute poſſit, ut has turbas, atque ſeditiones cieret, poſtulavit, plagas, & vulnera per medicos inſpici. At hi affirmarunt, videri ſibi affectata eſſe vulnera: non uno ictu, & impetu allata: neque alta, ſed ſuperficiaria, veluti ſi unguibus, non gladio facta ſint, & ab eo qui ſæpiùs tentando, atque recuſando ſanguinem ſibi elicuiſſet, non qui nolens, & ingratus, unum, aut alterum ab alio vulnus accepiſſet. Sed nondum hæc ſatis innocentiam Dionis arguere videbantur, quia non tam certa ſint iſta indicia, Soſidem à F Dione læſum non fuiſſe, quàm vix credibile, quenquam concitandi odii in adverſarium in ſe priùs ſævire velle. Verùm dum iſta quærebantur, poſtquam ex ipſius Soſidis amicis, atque familiaribus aliqui manu novaculam ferentes advenere, & id narraverunt, dum per urbem ambularent, occurriſſe ſe Soſidi ea vociferanti, quæ ſuprà dicta ſunt, ideòque ſe converſos retrò abiiſſe, num aliquos viderent Dionis ſatellites, neque ullos offendiſſe ſe: immò verò unde primùm Soſidem ad ſe fugientem adventare conſpexerant, novaculam hanc humi duntaxat ejectam reperiiſſe: & poſteàquam Soſidis ſervi interrogati reſponderunt, Eum ſummo mane cum novacula ſolùm domo exiiſſe: tum verò calumniam manifeſtam eſſe judicarunt. Eum itaque populus ſuis omnibus ſuffragiis necari voluit, juſſit. *Ærod. ex Plut. Dione.*

Statuarum præſtantiam.

Cùm Phryne, cujus Phidias ſtatuarius nobiliſſimus amator erat, ab eo ſibi depopoſciſſet, quod eſſet ejus operum pulcerrimum, non ſanè renuit. Verùm quod ipſe de ſuis operibus judicium facere pertinaciter recuſaret, hoc aſtu mulier expreſſit. G Ejus ſervus accurrens nunciat, Praxitelis officinam igni correptam flagrare, bonamque ejus operum partem jam periiſſe, non tamen adhuc omnia exuſta. Examinatus Praxiteles, foras exſiluit, &, Actum eſt, inquit, de laboribus meis, ſi Satyro, & Cupidini flammæ non pepercerunt. Tum Phryne eum benè ſperare jubet: nihil enim triſte accidiſſe, ſed illum dolo cogere voluiſſe, ut quod pulcherrimum operum ſuorum eſſe judicaret, confiteretur. Atque ita ſibi illa Cupidinem elegit. *Pauſanias in Atticis.*

Antiquitatem gentis.

Ægyptii omnium hominum ſe primos exſtitiſſe arbitrabantur. Verùm Pſammetichus regnum adeptus, ubi ſciſcitando, Quinam primi hominum extitiſſent, nullum exitum invenire poſſet, hujuſcemodi rem machinatur. Pueros duos ex humilibus parentibus recens natos tradidit paſtori inter pecora educandos, jubens neminem coram eis vocem ullam edere, ſolitaria in caſa ambos ſibiipſis relinqui, eiſdem in tempore capras H admoveri: ubi lacte expleti forent, alia adminiſtrari: cupiens ex iis, ubi inarticulatè vagire deſiſterent, audire, ſi qua vox prima erumperet. Ubi bimatus exactum eſt tempus, paſtori qui hæc adminiſtrabat aperienti januam, atque intranti, ambo infantes porrectis manibus procidentes, Beccus clamabant. Quod primò audiens paſtor, obticuit. Cùm verò crebriùs adeunti, & obſervanti, idem verbum frequentaretur: ita demùm re domino indicata, juſſus ab eo pueros attulit, exhibuitque: quos cùm & ipſe Pſammetichus audiſſet, percontabatur, Quinam homines Beccus quippiam appellarent? Hæc percontans, comperit, Phrygas ſic panem appellantes. Tali negotio argumentati, Phrygas ſe priores extitiſſe, Ægyptii conceſſerunt. *Herod. l.2.*

Primogenituram.

Ariſtodemus, qui Lacedæmonios in Laconicam duxit, ex Ægina filia Auteſionis geminos ſuſtulit, & mox obiit. Mortuo rege, Lacedæmones primigenium ex lege regem creaturi erant.

Verùm

Verùm cùm pueri ſimiles eſſent, neque quis illorum prior ex A utero prodiiſſet, diſcerni poſſet, percontati ſunt matrem. Eaque negante ſe dignoſcere (diſſimulabat autem, quoniam magnoperè cupiebat ambos effici reges) miſerunt Lacedæmonii Delphos ſciſcitatum, Quid in ea re agerent? Pythia reſpondit: Utrumque puerorum haberent pro rege, ſed primigenium magis honorarent. Hoc reſponſo à Pythia edito, Lacedæmonii nihilominus incerti quo pacto primigenium reperirent, admoniti fuere à quodam Meſſenio, nomine Panite, ut obſervarent, utrum puerorum mater priorem lavaret, cibaretque: quam ſi deprehenderent eodem ſemper modo factitare, habituri eſſent id omne quod quærerent: ſin illa alternando erraret, palàm fore ne ipſam quidem quippiam magis noſſe. Spartani igitur ex admonitu Panitis obſervantes matrem puerorum, ignaram cur obſervaretur, animadvertenteſque illam præferentem alteri primigenium, tum cibando, tum lavando: acceperunt eum puerum, qui magis honorabatur à matre, tanquam primogenitum, publicèque alendum curarunt, impoſito ei nomine Euryſthenis, juniori autem Proclis. *Herod. l.6.*

Sententiam, Opinionem, Judicium.

B Micheas propheta Achab regem expeditionem adversùs Syros ſuſpicientem ſuamet confeſſione convicit, ea ab illo per ſimulatam interogationem extorquens, quæ apertè rogatus nunquam fateri voluiſſet. 3. *Reg.*20.

Agelaus, ſortibus Olympiæ acceptis à Jove ex voto ſuo, cùm inde juberent Ephori, ut de iiſdem Apollinem Pythium conſuleret, profectus Delphos, rogavit Apollinem, Eadem ne ei quæ patri viderentur *Plut. in Apoph.*

Veteres antequam literas recitarent, jubebant adversùs quos facerent, ne perfugii aliquid poſteà haberent, dicerentque fictas eſſe, cognoſcere ſignum. Id ſignificavit *Cicero in 2. concione in Catilinam*: ait enim. Atque ibi vehementiſſimè perturbatus Lentulus, tamen ſignum, & manum ſuam cognovit. Sed etiam *Salluſtius* in eiſdem illis rebus narrandis: Igitur perlectis literis, cùm priùs omnes ſua ſigna cognoviſſent, Senatus decrevit, & quæ ſequuntur. *Plautus* quoque *in Bacchidibus*, ubi dolum Chryſali exponit, & quemadmodum fallacibus literis tetigerit imprudentem ſenem, oſtendit: Nunc haſce tabellas ferre me juſſit tibi, orabat, quod iſtic eſt ſcriptum, fieret cedo. Sed noſce ſignum. Novi *Xenophon in quinto libro de rebus Græcorum* narrat, cùm C Tiribazus literas regis Perſarum lecturus eſſet, iis, qui audituri eſſent, priùs ſigna eadem de cauſa oſtendiſſe. *Victor. l.14. Var. Lect. c.4.*

Miecislaus III. Polonorum Princeps, avarè, & ſuperbè imperabat, & per præfectos ſuos populum expilabat. Gedeon Cracovienſis Epiſcopus blandè primùm, & apertè principem redarguere: mox ubi contumacem eſſe videt, pro aſtu rem aggreditur. Mulierem ſubornat, quæ ſordido, & miſerabili habitu aſſumpto, ubi in conſpectum Principis venit, lamentabili voce, & ejulatu ementito opem ejus implorat. Motus ejus lacrymis, & importuno clamore Miecislaus, accitam, Quid ſibi velit? rogat. Ibi illa: Gregem ſe ovium numeroſum habuiſſe, & filio commendaſſe, illum porrò Mediaſtinis paſcendum commiſiſſe, eorum negligentia gregem à lupis dilaniatum, ſeque ad extremam inopiam inda redactam eſſe: rogare, ut cujus culpa damnum datum eſſet, ab eo præſtaretur. Citati Mediaſtini, qui pariter ſubornati venerant, negant ſua negligentia damnum datum eſſe: verùm adoleſcentis, qui privignus, non filius eſſet ejus mulieris, culpa. Eum enim ve- D nationi deditum, feros canes alere: qui ſoluti, partim ipſi gregem laniarint, partim diſiectum, ac diſſipatum, lupis in prædam dederint. Eum igitur damnum præſtare oportere: ſe neque canes abigere, neque diſperſis ovibus ſuccurrere potuiſſe. Aderat & adoleſcens, crimenque in Mediaſtino referebat, ſe præſidio gregi canes alere. Neque tamen ſatis illorum dicta refellebat. Cognita cauſa Miecislaus condemnat adoleſcentem damni infecti. Approbant, qui tum aderant, Senatores Principis judicium. Ibi tum Gedeon: Juſtè, inquit, & ſapienter judicaſti. Tu filius es hujus ampliſſimæ, & florentiſſimæ Reipublicæ. Sed tu te privignum ejus haberi mavis. Tu gregem tuum nummariis judicibus, & magiſtratibus tradis: tu feros canes, hoc eſt, acerbos, & crudeles exactores, & præfectos facultatibus, & ſanguine innocentium hominum ſaginas: quorum cæca cupiditate, & aſperitate fit, tenuiores ut à potentioribus, perinde quaſi à lupis, impunè diripiantur, & opprimantur. Incenſus hac ratione Epiſcopi Miecislaus, fremens, è ſenatu ſeſe proripuit: multa Gedeoni, multa cæteris ſenatoribus, qui Gedeonis dicta approbare videbantur, minitans. Proceres ejus tyrannidem peroſi, dignitate eum privarunt, & Caſimirum fratrem, E vel invitum ad Reipubl. gubernacula pertraxerunt. *Cromerus lib.6.*

Ludovicus Francorum rex, ulturus mortem Caroli Simplicis patris ſui, quem Hubertus Comes Veromandus in arce Peroniana captivum detinuerat, Lauduni conventum Principum habens, litteras è rege Anglo ſibi miſſas fingit. Iis à ſcriba perlectis, alta voce ſubintulit: Jocone, an ſeriò Anglus ſapientiam noſtram explorare velit, dubito. Sed tamen ſeria illum agere ponamus. Villicus agri dominum ad ſe blandè invitatum occidit. Homicidii, an parricidii ſupplicio dignus ſit? quæritur. Principes ſententiam rogati, & in his Hubertus quoque, Morte dignum eſſe villicum ignominioſiſſima, ſuſpendio nimirum, unanimi conſenſu reſponderunt. Tum Rex ad Hubertum converſus: Ergo & tu, inquit, regis tui proditor, tuo ipſius judicio damnatus, dignas perfidia tua pœnis luito. In crucem igitur actus, monti vicino nomen dedit. *Ægidius Corrozetus de Dictis, & factis memorabilibus.*

Prætoris taurus in Ruſtici cujuſdam tenuis paſcua tranſiliens, vaccam ejus cornibus occidit. Qui damnum acce- F perat, non vel hac in re rus ſapiens, prætorem adiit, & impunitate loquendi ex more data: Prætor (inquit) meus taurus tuam vaccam cornibus petiit, atque occidit: quid juris? Ille incunctanter: Quid aliud (inquit) niſi ut vaccæ damnum mihi tauri nomine præſtes: aut taurum, ſi mavis, noxæ dedas? Immò (inquit ruſticus) ignoſces imperitiæ meæ: nam lingua lapſus ſum, præpoſterè cauſam propoſui. Nam tuus taurus meam interfecit vaccam. Tum prætor nimiùm impudens: Iſthæc (inquit) alia res eſt. *Cognat. l.1. Narrat.*

APPROBARE ALTERIUS
DICTUM, FACTUMVE.

Damis ad Alexandri ſcripta, ut Deum ſe eſſe ſciſcerent: Permittimus, inquit, Alexandro ſi velit, deum appellari. *Plut. in Apoph.*

Lacedæmoniorum magiſtratus, cùm ſententiam cujuſpiam, qui fœdam vitam egiſſet, comprobaſſent, alteri juſſerunt probatæ vitæ, & morum, ut eam pronuntiaret. *Plutarchus de Audiendo.*

Maximus Planudes, monachus Conſtantinopolitanus, vir doctiſſimus, vehementiſque ingenii, abhinc annos ferè cen- G tum quinquaginta, Romanæ ab initio fidei favit. Ob quam rem ab Imperatore Conſtantinopolitano multa paſſus, in cuſtodiam tandem conjectus, contrà ſentire coactus eſt, tribus editis contra Romanam Eccleſiam argumentationibus: quas Beſſario Cardinalis Nicænus prælegens, mirari ſolebat, virum cæteris in ſcriptis excellentem, ſummumque Philoſophum, tam ineruditos, infirmoſque edidiſſe ſyllogiſmos. Haud ob aliam putabat cauſam, quàm quòd ea, quæ metu perſcripſerat, animo improbarit, refellendaque vel cuivis facilè præbuerit. *Volater. l.17. Anthrop.*

Bernabos Princeps Mediolani, admodùm mulieroſus, cùm aliquando ſolus in horto, ſemotis arbitris, cum muliere quam amabat, laſcivus jocaretur: ſupervenit de improviſo Confeſſor ejus, cui propter ſapientiam, & auctoritatem ſemper ad Principem patebant fores. Erubuit ſimul, & indignatus eſt Princeps de inſperato illius adventu, pauloque commotior, ut eum in reſponſo caperet: Quid, inquit, ageres, ſi tu quoque cum ejuſmodi muliere in lecto eſſes? At ille: Quid me deceret (ait) ſcio: quid verò fa- H cturus eſſem, neſcio. Hoc reſponſo iram principis flexit, cùm ſe quoque hominem eſſe, & labi poſſe fateretur. *Poggius in Facetiis.*

REFUTARE. ELENCHUS
PRUDENS.

☞ *Refutationem alienæ Opinionis, Sententiæ, Judicii, hîc Approbationis opponimus: ſive illa ſit ſimplex ſive conjuncta cum confirmatione contrariæ ſententiæ, & opinionis, qui Elenchus dicitur. Conſilii.*

Cùm Branchidarum oraculum Pactyam Lydum, qui à Cyro Perſarum rege defecerat, & magnam vim auri ſecum habebat, Tabalo præfecto regio Sardis tradendum aſſeruiſſet: Ariſtodicus Cumæus Heraclidæ filius, cùm grave putaret eſſe, ſupplices Barbaro regi ad certum exitium tradere, oraculi vanitatem refellere volens, templum undique circumiit, & paſſeres, aliaſque aviculas, quæ fortè in templo iſthinc nidulabantur, è nidis exemit. Quæ cùm ille faceret, vox ex adyto audita fuit ad Ariſtodicum, dicens: Hominum ſceleſtiſſime, quænam te libido inceſſit, ut audeas meos ſupplices è templo A abripere? Ariſtodicus contrà: Et tu, inquit, rex, hujuſmodi auxilium fers ſupplicibus, cùm Cumæos jubeas ſupplicem ſuum tradere Perſis: Cui Deus reſpondens: Equidem, inquit, jubeo, ut impiè agentes malè pereatis, neque deinceps oraculum hoc de reddendis veſtris ſupplicibus laceſſatis. Quòd reſponſum ubi tulerunt Cumæi, neque Pactyam Perſis tradere voluerunt, neque penes ſe detinendo Cyrum irritare: ſed ablegarunt Mitylenam, inde in Chium: Chii eum hoſtibus tradiderunt. *Herod. lib. 1.*

Poſtulanti, ut principatum popularem Lacedæmone conſtitueret, reſpondit Lycurgus: Priùs te erigas principatum domi popularem. *Plut. in Apoph.*

Reipublicæ Proceres Imperat. Baſilio Macedoni ſuaſerant, ut in provincias reddituum inſpectores mitteret. Imperator hanc probare ſe ſententiam ſimulans, deligi ad hoc munus aptos homines juſſit. Quorum nomina ſibi adferentem Generalem reprehendit Imperator, inquiens: Se quoque ad hoc B obeundum munus non ſatis eſſe idoneum. Hoc idem detrectantibus duobus Reipublicæ Magiſtris, iiſque ut hoc miniſterium aliis imponeretur petentibus, inſpectionem hujuſmodi omittendam cenſuit. Præſtare enim, aliquos lucrum injuſtum ex publico percipere, quàm malè metuere mulctam, quæ eos opprimat, aliquam. *Cedrenus.*

Carolus Burgund. D. Leodienſes obſeſſurus, cùm ad hoſtium fines perveniſſet, deliberatur, quid facto ſit opus. Suadebant aliqui, dimittendam eſſe partem exercitus: primùm, quòd oppidani, & turribus, & muro eſſent denudati, & ſpe omni auxilii carerent: deinde, quòd rex Galliæ, in quo magnum habuiſſent præſidium, ipſe adeſſet. Eam ſententiam Carolus rejecit, & magno quidem ſuo bono: minimùm enim aberat ab internecione, & quia ſuſpectum habebat regem, putabat non eſſe diminuendas copias. *Phil. Comin. 1. Comm.*

Judicii, Sententiæ.

Cùm profectus eſſet Miletum ad Thalem Solon, ajunt mirum ſibi eum dixiſſe videri, quòd nuptias, & ſobolis procreationem omninò negligeret. Thalem autem in præſentia qui- C dem tacuiſſe, aliquot verò dierum intervallo ſubornaſſe peregrinum quendam, qui modò decimo die ab Athenis profectum ſe diceret. Quærente Solone, Nunquid Athenis novi; Hominem, quæ diceret, edoctum nihil reſpondiſſe aliud, niſi quòd adoleſcens efferretur, & proſequeretur funus tota civitas, quòd ille foret clari viri filius, & virtute inter cives primi, longo jam ſpatio peregrinantis Solonis. Tum Solon falſo metu exterritus, cœpit caput cædere, aliaque, & facere & dicere, quæ mœrore oppreſſi aſſolent. Tum Thales repreſſo Solone ridens dixit. At hæc me Solon à connubio deterruerunt & à liberis tollendis, quæ te etiam infringunt virum conſtantiſſimum. Te verò nihil hic nuncius moveat: hæc enim ficta ſunt. Hæc Hemippus Patæcum, qui Æſopi ſe ferebat animam habere, ſcribere refert. *Plut. in Solone*, ubi & Thaletis imprudentiam arguit.

Rex Artaxerxes, mortua concubina unicè dilecta, miſiſſe fertur ad Democritum ſapientia celebrem legatos, petitum, ut reſuſcitaret mortuum. Reſpondit Democritus: Res eſt magna, & difficilis, ſed quæ fieri poſſit, ſi rex triginta nomina in- D ſcribat, ſepulcro eorum, qui ad annum uſque vigeſimum doloris expertes vixerint.

Fama eſt, cùm clarus fores minus Parmenon, tum in aliis, tum verò præſertim in ſuis voce imitanda, ita ut in proverbium abierit, æmulos alios ſpecimen ex adverſo ſui dediſſe. Sed cùm præoccupati homines eſſent, dicerentque: Præclarè quidem, ſed nihil ad Parmenonis ſuem: attuliſſe unum ſub ala ſua porcellum. Cùm autem illi, qui vocem audiebant germanam ſuis, ſucclamarent: Quid hic ad Parmenonis ſuem? dimiſiſſe hunc in medium porcellum, oſtendiſſeque ex opinione eos, non ex veritate judicaſſe. *Plut. l. 5. Convival. quæſt.* 1.

Amicum quendam Socrates cùm audiret dicentem, Magno in urbe omnia væniunt, mina vinum Chium, purpura tribus minis, mellis hemina drachmis quinque: manu prehendens, abduxit eum ad farinam: hęc, Obolo hemina inquit, vænit: vilis eſt hic annona. Inde ad oleas: Duobus æreis ſeſquiſextarius, vilis hęc annona. Mox ad exomidas: Drachmis denis, vile ergo pretium. *Plut. de Animi tranquil.*

Dolebat Diogeni humerus, ex vulnere credo, vel alia quadam cauſa. Cùm igitur vehementi dolore videretur affici, quidam ex inimicis inſultabat ei, dicens: Quin igitur mortem obis, ò Diogenes, & te ipſum his malis liberas? At ille reſpondit: Eos, qui ſcirent, quæ in vita fieri, dicique conveniret, in vita E manere æquum eſſe, in quo genere hominum ſeipſum etiam numerabat. Verùm tibi, qui neque quid agendum, neque quid dicendum ſit, noveris, opportunum moriendi tempus eſt. *Ælian. de Var. hiſt. l.10.*

Dionyſius tyrannus, cùm quidam ex ejus aſſentatoribus Damocles commemoraret, quàm eſſet beatus: Viſne igitur, reſpondit, eandem deguſtare, & experiri fortunam mecum? Eo annuente, collocari juſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili magnificis operibus picto, abacoſque quamplures ornavit argento, auroque cælato: tum ad menſam eximia forma pueros delectos juſſit conſiſtere, eoſque ad nutum illius intuentis diligenter miniſtrare. Aderant unguenta, odores, epulæ. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſeta equina appenſum dimitti juſſit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulcros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in menſam, jam ipſæ defluebant F coronæ. Denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quòd jam beatus eſſe nollet. *Cic. l.5. Tuſc. quæſt.* Attigit hiſtoriam *Perſius Sat.*3.

Et magis auratis pendens laquearibus enſis
Purpureas ſubter cervices terruit.

Dionyſius ſenior, cùm filium, quem relicturus erat dominatus ſucceſſorem, ſtuprum hominis ingenui uxori obtuliſſe reſciviſſet: inflammatus rogavit eum, Ecquid in ſe tale comperiſſet? Reſpondente adoleſcente: Nempe tu patrem non habuiſti tyrannum: Nec tu, inquit, niſi factis iſtis temperes, filium habebis. *Plut. in apoph.*

Anno 22. Anaſtaſii Imper. cùm Alamundarus Saracenorum princeps, Dei providentia baptizatus ab orthodoxis eſſet: impius Severus duos ad eum miſit Epiſcopos, qui eum labe ſuæ hæreſeos inficerent. Quos ille admirabili commento refutavit. Dixit enim iis, eo ipſo die ſibi literas de morte Michaelis Angelorum principis eſſe allatas. Cùmque reſponderent, nullo eum modo potuiſſe mori. Quomodo autem, ait, nudus Deus potuit crucifigi, quod vos affirmatis? quomodo Chriſtus non conſtitit ex duabus naturis, cùm ne An- G gelus quidem moriatur? Ita cum dedecore Severiani diſceſſerunt. *Codrenus.*

Accuſationis.

In compotatione quadam Bion tacens, cùm ut ſtolidus derideretur à garrulo: Quis verò valeat, inquit, fatuus qui ſit, in vino tacere; *Plut. de Garrulitate.*

Plato cùm amicos nobiles invitaſſet, tricliniumque juſſiſſet ornari non omninò ſordidè, irrupit Diogenes Cynicus, & ſpurcis illis ſuis cœnoſiſque pedibus cœpit lectulos conculcare. Ingreſſus cum convivis Plato: Quid agis, inquit, Diogenes? Calco, inquit ille, Platonis faſtum. Calcas, reſpondit Plato, ſed alio faſtu majore; videlicet arrogantia, & jactantia erat in Diogenis animo impotentior, & intolerabilior quòd inops eſſet, quàm in Platone, qui cultum illum amicorum oculis dabat, non ſibi. *Diog. Laert.*

Cùm ex Græcia, & Macedonia adeſſent, qui Antipatrum accuſarent apud regem Alexandrum Magnum, atque Caſſander patris dignitatem acerbiùs tueretur: Alexander, Quid ais? inquit, an putandum eſt violatos homines, tam longis itineribus, huc patrem tuum falsò criminatum veniſſe? Tum ille: H Immò, ait, hoc ipſum calumniæ indicium eſt maximum, ut tam longis itineribus huc venirent, ne quæ mentirentur, redargui poſſent. Ridens Alexander. Hæc illa ſunt, dixit, Ariſtotelis ſophiſmata, quæ utrique lacrymas excutient, ſi quemquam à vobis violatum comperero. *Plut. in Alexandro.*

Theodorus, cùm rex ei obiiceret Lyſimachus: Tua te iſtis moribus patria in exilium dedit, verè, inquit, quòd me non ferret, ſicut Liberum patrem Semele. *Plut. de Exilio.*

Obtrectationis.

Eudamidas Argivo, qui Laconas peregrinando deteriores fieri dicebat, deſciſcentes à patriis legibus: Atqui vos, inquit, poſtquam Spartam veniſtis, non praviores, ſed evaditis meliores. *Plut. in Apoph.*

Detractionis.

Leonidas Anaxandridæ, frater Cleomenis, dicenti, Nulla re nos, niſi quòd rex noſter ſis, excellis: Immò, inquit, niſi pręſtantior eſſem vobis, non regnarem. *Plut. in Apoph.*

Seriphio obiicienti Themiſtocli, Non per ſe illum, ſed urbis cauſa eſſe clarum: Rectè ais, inquit. Cæterùm neque ego, Seriphius ſi ſim, evaſiſſem clarus: neque tu, ſi Athenienſis, *Ibidem.*

Pliſtonax Spartanus Pauſaniæ F. cùm orator quidam Athenienſis indoctos Lacedæmonios appellaret: Sanè quidem, inquit: ſoli enim Græcorum nihil mali à vobis didicimus. *Plut. in Lycurgo.*

Jactantiæ.

Dionyſius minor, Polyxeno dialectico redarguere jactante ſe eum: Nempe urbis, inquis: ego verò coarguo te factis, qui relictis tuis me, & mea carpas. *Plut. in Regum apopb.*

Cùm Thebani fuſis ad Leuctra Laconibus acceſſiſſent ad Eurotam, ac quidam oſtentabundè jactaret, Ubi nunc ſunt Lacones; captus ab eis Spartiates: Non adſunt, inquit, neque enim vos huc acceſſiſſetis. *Plut. in Laconicis.*

Cùm Perſes quidam aſſiduè muneribus ſolicitando amicum à Demarato retraxiſſet, dixiſſetque: Cepi amaſium tuum: Minimè verò tu, inquit, ſed mercatus es. *Plut. in Apopb.*

Antalcidas Athenienſis, qui ei dixit: Atqui nos à Cephiſo ſæpius vos ſumus conſectati: Nos verò, inquit, ab Eurota vos nunquam. *Plut. in apopb.*

P. Scipio Africanus, Appio Claudio, qui competitor ejus erat in cenſura, jactante omnes cives ſe nominatim ſalutare, cùm neminem penè cognoſcat Scipio. Verùm, inquit, prædicas, Mihi namque non noſſe multos, verùm ne eſſem cuiquam ignotus, fuit curæ. *Plut. in apopb.*

C. Marius bello Italico circumvallari, & obſideri ſe paſſus eſt, occaſionem ſuam expectans, Cùm diceret ei Silo Popedius: Si magnus es, Mari, dux, deſcende in certamen: Immò tu, inquit, ſi magnus dux es, coge me dimicare vel invitum. *Ibid.*

Scommatis.

Hircanus II. etiàmnum puer miſſus à Joſepho patre Judæorum principe Alexandriam ad Ptolemæum Epiphanem, propter natum filium gratulaturus: cùm ad convivium regis vocatus, & infimo loco accumbere juſſus, propter ætatem, reliqui convivæ oſſa ante Hircanum congererent, Tryphon quidam morio inſtinctu reliquorum, ad regem ſe convertens: Nempe ut hic oſſa nudavit carnibus, inquit, ſic pater ejus Syriam ſpoliavit. Ridens rex, Hircanum rogat. Unde illa oſſium congeries? Tum ille, Ego ut homo carnes comedi, oſſa abjeci. Iſti verò (reliquos denotans convivas) canes tui ne oſſa quidem reliqua fecere. *Joſeph. l. 12. c. 4. Antiq.* Quod ipſum Dantes Aligerius Florentinus poeta, cùm apud Maſtinum Scaligerum Veronæ exularet, æmulis illum propter mordacitatem Cani aſſimilantibus, in convivio quoque reſpondiſſe traditur.

Sigiſmundus Imperator iter faciens, torrentem equo traiiciebat. Equus conſiſtens, mejere cœpit. Tum quidam aulicorum Cæſaris equum naturam Cæſaris habere palam aſſeruit. Cauſam rogatus: Quoniam, inquit, equus torrenti aquam addit, Cæſar habentibus dat. Animadvertit Imperator perſtringi ſe modeſtè, quòd in aulicum jam veteranum nihil beneficii contuliſſet, & ſubjecit: Nunquam quidem ſibi benè merendi voluntatem defuiſſe: ſed Principum dona non illorum eſſe propriè, qui ea mererentur, ſed quibus ſint deſtinata. Et id re comprobaturum ſe dixit, quamprimum otii, & quietis occaſio tantiſper daretur. Poſteà otium nactus Cæſar, pyxides duas parari juſſit, magnitudinis, & formæ ejuſdem. In unam aurum, in alteram plumbum ponit, pondere eodem: & miniſtro advocato præcipit, ut alteram pyxidem deligeret. Conſternatus miniſter, librando modo hanc, modo alteram tollit, neſciens utram potiſſimùm debeat eligere. Tandem eam aufert pyxidem, quæ plumbum continebat: Quod ubi conſpexit ille, Jam recluſa pyxide, ajebat Cæſar, videri palàm, non ſuam voluntatem, ſed ipſius infortunium obſtitiſſe, quominùs hactenus beneficium ſit conſequutus. Teſtatur ſanè hoc factum, prudenter conſideraſſe Cæſarem, felicem ſucceſſum rerum à Deo contingere. *Carion. l. 3. Chronici.*

REPREHENDERE, ACCUSARE PRUDENTER

☞ *Exempla plurima ex Tit. Libertatis in reprehendendo peti poſſunt: hìc Prudentia, illic Libertas conſideratur.*

Ignorantiam Theoricam.

Socratis ætate caſu accidit, ut Sophiſtarum in Græcia magnus proventus eſſet: à quibus juventus magna mercede arrogantiam, ſapientiæ oſtentationem, & garriendi ſtudium hauriebat, cùm congreſſus, & diſputationes ſteriles per rixas, & concertationes agitaret: quod autem honeſtum eſſet, & frugiferum nihil. Socrates igitur, cujus fuit refellens oratio ſicut medicamentum purgans, magna cum auctoritate coarguebat, alios, quod affirmaret nihil, graviuſque pungebat, dum putabant in communi quærere eum verum, non ſuæ opinioni ſervire. *Plut. in quæſt. Plat.*

Cùm Florentiæ eſſet Eugenius IV. Pontifex, Puer quidam apud Angelottum Cardinalem Rom. eleganti ſupra ætatem oratione uſus fuerat: Cardinalis ad aſtantes, converſus: Præconia hæc ingentia cum ætate flacceſcunt. Tum puer: Ergo tu optimæ indolis puer fuiſti. *Poggius in Facetiis.*

Elocutionem.

Euripides obtulit Socrati librum ab Heraclito conſcriptum, Eo lecto, rogavit, Quid illi videretur? Per Jovem, inquit, quæ intellexit, mihi præclara videntur, qualia puto, & ea quæ non intellexi: ſed opus eſt Delio quopiam naratore, ne in iis ſuffocetur. *Laertius.*

Meſſala exactiſſimi vir ingenii, & Latini ſermonis obſervantiſſimus, cùm audiſſet M. Pontium Latronem declamantem, dixit: Sua lingua diſertus eſt. Sic ingenium concedens, ſermonem obiicere illi videbatur. *Cœlius l. 11. c. 13. Antiq. Lectionum.*

Improbitatem in genere.

Agis minor ad hominem improbum ſubinde quærentem, Qui optimus eſſe Spartiates? Tui diſſimillimus, inquit. *Plut. in Apopb.*

Aſtutiam.

In conſilio Mantuano de expeditione Turcica deliberabatur. Cùm Veneti propter initum cum Turcis fœdus palàm adverſarentur, clàm tamen habita ratione, quantum eſſent collaturi, Summam belli navalis dari ſibi poſtularent, & claſſem inſuper triremium ſexaginta, & viginti navium roſtratarum, ac peditum delectorum millia, & annuas decimas, & præterea quindecies centena millia ex publico: Hoc, inquit, Pius II. Papa, Veneti eſt recuſare, non petere. Nos verò adeò vobis moleſti non erimus, ut oneris tantum feratis. *Campanus in ejus vita.*

Stultitiam.

Lycurgus momenti, ut Rempubl. in civitate efficeret popularem: Tu priùs, inquit, domi tuæ effice rempubl. popularem. *Plut. in Apopb.*

Eudamidas audito philoſopho, qui ſolum ſapientem bonum Imperatorem eſſe dicebat: Oratio quidem iſta, inquit, mirifica eſt: at qui dicit, tubarum ſonitum non audivit. *Ibid.*

Iphicrates in judicium capitis vocatus, delatori: Quid, inquit, malum agis, qui circumſtante bello ſuades civitati, ut de me potiùs, quàm mecum deliberet. *Idem.*

Archidamus Zeuxidami filius, illi, qui laudibus citharœdum ferebat, ſtupebatque ejus artem: Qualem honorem, quæſo, inquit, bonis viris habebis tu, cùm citharœdum ita in cœlum feras? *Idem.*

Agis Archidami filius diſſerenti cuidam de Græcorum libertate, non levia quidem, ſed effectu ardua: Deſiderat, inquit, hoſpes, vires, & pecuniam iſta oratio. *Idem.*

Antiochus ephorus, poſtquam Philippum Meſſeniis agrum audivit donaſſe, quæſivit: Num vires quoque, ut de agro dimicantes vincere poſſent, tribuiſſet. *Idem.*

Flagitantibus, cùm urbis deditionem feciſſent, Athenienſibus, Samum ipſis ſolùm permitti, reſponderunt Lacones: Quando veſtri juris non eſtis, tunc habete, & alios quæritis; Unde eſt proverbium natum, Qui ſeipſum non habet, Samum petit. *Idem.*

Ageſilaus cùm cognoſceret de lite quadam, accuſatorque probè cauſam egiſſet, defenſor malè, qui ubique occinebat: Decet regem, Ageſilae, legibus ſubvenire: Et ædes tuas, reſpondit, ſiquis diſſiparet, aut exſpoliaret te pallio, num expectes, dum ædificator, aut textor pallii tibi ſuccurrat. *Idem.*

Idem cùm cerneret nonnullos cives, quòd equos ad ſacra certamina alerent, celebres eſſe, & placere: quò ſubiiceret Græcorum oculis nullius ea virtutis eſſe, ſed opum, & ſumptus, ſororem impulit Cyniſcam, ut currum conſcenderet, & Olympiis certaret. *Idem.*

Ariſtides queſtor creatus, demonſtravit non ſolùm ſui temporis quæſtores, ſed & ſuperiores magnam pecuniam avertiſſe, Themiſtoclem præ cæteris. Is magna coitione in Ariſtidem facta, negotium ei, cùm referret rationes, fecit, & peculatus eum damnavit. Quod cum ferrent optimi quique indignè: litis æſtimatione liberatus, & quæſtor eſt iterùm deſignatus. Hic cum præ ſe ferret priorum conſiliorum pœnitere ſe, & molliorem ſe præberet, erat acceptus iis, qui expilabant

ærarium, quòd non detegeret ipſos, nec exactè excuteret: undè ſatiati pecunia publica in cœlum ferebant Ariſtidem, ac populum pro eo prehenſabant, laborabantque ut denuò queſtor crearetur. Is verò populum, cùm ipſum deſignaturus eſſet, caſtigavit. Cùm enim inquit, verſatus in magiſtratu eſſem innocenter, & rectè, labe aſperſus ſum: ubi multa de publico depeculatoribus condono, præclarus videor civis. Me quidem magis hujus pudet laudis, quàm damnationis prioris: veſtri verò miſeret me, apud quos obſequi honorabilius eſt improbis, quàm conſervare commoda publica. Ita fatus, ubi furta patefecit, applaudentes ſibi, & commendantes elingues reddidit: verum autem & juſtum tulit ab optimo quoque præconium. *Plut. in Ariſtide.*

Delphis ſtatua viſebatur aurea inter duces, & reges Mneſaretes: quam Crates ait Græcorum laſciviæ dedicatum eſſe trophæum. Praxiteles amicæ id beneficii contulit, quem ob id laudibus extollere Crates debebat, quòd aureis hiſce regibus meretricem amicam aſſociaverit: opulentiam, cui nihil præclari, nihil adeſt honeſti, eis improperans. Siquidem juſtitiæ ornamenta, temperantiæque, & magnanimitatis, decebat juxta Apollinem reges, & ſummos magiſtratus locare, non aurearum, & delicatarum copiarum, quarum ſunt etiam qui illi turpiſſimè vixerunt conſortes. *Plut. de Pythiæ oraculis.*

Cùm Atticam depopularentur Macedones; eduxit juventutem Phocion. Ibi multis accurrentibus, monentibuſque ut illum tumultum occuparet, hinc inſtrueret aciem: Papæ, inquit, quàm multos duces, paucos video milites, ſed tamen ſignis collatis fudit, occiditque ductorem Macedonum Nicionem. *Plut. in apopht.*

Ut civitatem Athenienſium Leoſthenes præcipitem in bellum egit, ingenti ſpe ad libertatis, & Imperii nomen arrectam, orationem ejus cupreſſis aſſimilavit Phocion. Hæ namque, infit, pulcræ ſunt, & excelſæ, ſed non ferunt fructum. Cùm primi ſucceſſus ex voto eſſent, & civitas ob lætum nuncium diis honorem haberet: rogatus, Anne hæc optaret ita fuiſſe geſta? Omninò, inquit, hæc geſta eſſe, ſed tamen conſilia capta illa. *Ibidem.*

Ariſtippus philoſophus victus ab homine quodam audaci, ſed furioſo alioqui, & amente, ubi eum exultantem, jactantemque ſe vidit: Ego, inquit, qui convictus ſum, ab eo jucundiùs, quàm tu, qui me viciſti, dormiturus. *Plut. de Virginis provectu.*

Idem, cùm rogaret eum quidam, Quid mercedis pro inſtituendo filio poſtularet? Drachmas, inquit, mille. Qui cùm dixiſſet: Papæ nimium petis: equidem mercari mancipium poſſem mille. Ergo duo, infit, habebis mancipia, filium natum, & ſervum emptum. *Plut. de Inſtit. liberis.*

Diogenes Cynicus, cùm aliquando de re ſeria diſſerens, nullum haberet auſcultatorem attendentem, cœpit ineptam cantionem canere, veluti ſaltaturis. Ubi jam plurimi concurriſſent, objurgavit illos, quòd ad ſtulta, & inepta frequentes & alacres accurrerent, ad ſeria verò, & ad benè vivendum utilia nec alacriter convenirent, nec diligenter auſcultarent. Huic ſimillimum eſt, quod Demoſtheni quidam adſcribunt, de umbra aſini. *Laertius lib. 6.*

Idem videns adoleſcentem furibundum, & væcordem: Parens, inquit, adoleſcens, te ſeminavit temulentus. *Plut. de Inſt. liberis.*

Antiſthenes, cùm Athenienſes admoneret, ut aſinos non minùs ad agriculturam eligerent, quàm equos: illi verò, animal ad arandum ineptum eſſe, reſponderent: Quid refert, inquit, quia in veſtra Republica duces ſunt, qui nunquam didicerunt adminiſtrandi rationem: ſed ſatis eſt, quòd à vobis eligantur. *Laertius lib. 6.*

Erat apud Pyrrhum Cyneas Theſſalus, ingenio, & eloquentia clarus, utpotè qui Demoſtheni diutiſſimè operam dediſſet. Is ſæpè à Pyrrho miſſus ad civitatum Italiæ ſtudia ſibi concilianda, cùm mira felicitate verſaret populorum animos, fertur Pyrrhus in eum dicere ſolitus illud Euripidis: Omnia conficit oratio, vel quæ hoſtile etiam ferrum nequeat. Hic ubi regem ad expeditionem Italicam contra Romanos evocantibus Tarentinis, ſumma ope ſe parare vidit, ab eo familiariter quæſiviſſe dicitur: Rogo, inquit, rex, ſi dii annuerint, ut Romanos bello ſuperes, quid his victis poſteà agemus? Cætera Italia ſubigenda nobis eſt, inquit Pyrrhus. Italia verò domita, quid? ille ait. Siciliam, Pyrrhus reſpondit, meis opibus adiciam. Quid Sicilia victa? Aphrica, & cæteras terras noſtræ ditioni ſubigam.

Tum Cyneas: quid cùm totum orbem viceris? Tum ridens Pyrrhus: Otium, inquit, agemus, perpetuaque lætitia, epulis, mutuoque ſermone perfruemur. Tum ille: Quid attinet per labores, & pericula ea quærere, quorum facultas abundè parata eſt, modò frui velimus? Turbavit magis his verbis regem Cyneas, quàm à propoſito advertit. *Plut. in Pyrrho, & Sab. l. 8. Enn. 4.*

Antiochus rex, cùm traducto in Aſiam exercitu Romano legatos ad Scipionem pacem petitum miſiſſet: Hoc oportuerat, inquit, antè factum, non nunc poſtquam frænum, & ſeſſorem accepiſti. *Plut. in apopb.*

Cato Major increpavit cives, quòd ſemper eoſdem Conſules deſignarent. Videbimini enim, inquit, aut non magni conſulatum, aut non multos conſulatu dicere dignos. *Ibid.*

Auguſtus Cæſar, audito annos natum duos, & triginta Alexandrum maxima partes nobis ab ſe ſubjugata, quid deinceps acturus eſſet, hæſitaſſe: mirabatur, quòd non magis arduum arbitraretur, quàm quærere ſpacioſum Imperium, id quod tenebat, componere. *Ibidem.*

Ulyſſipone, eodem anno, aut paulò poſt, quàm Emanuel Potugaliæ rex Indiam ſubegit, Hermicus Cajadus Luſitanus, Angeli Politiani auditor, Latinis carminibus commentus eſt Sibyllinam vaticinationem in columnis marmoreis tribus inciſam, quæ per ambages ſignificabat, Indos ſub Imperium, & ditionem Luſitanorum eſſe venturos: eoſque lapides data opera detruncatos, ut aliqua ineſſent antiquitatis veſtigia, obrui præcepit, conſcio rege, in extremitate promontorii Artabri, propè Syntram oppidum. Ubi verò defoſſa marmora ex humore terreno vitium feciſſe judicavit, anno MDV. die Auguſti nona, invitat amicos in villam, ei loco proximam. Cùm accubuiſſent omnes, ecce villicus nunciat Hermico, mercenarias ejus operas, dum in fundo foſſionibus incumberent, incidiſſe in lapides, indices magni cujuſdam theſauri, eodem loco defoſſi. Accurrunt omnes, & columnas intuentur, in quibus inciſa hujuſmodi erant carmina:

Sibyllæ vaticinium occidis decretum.
Voluerunt ſaxa literis, & ordine rectis,
Cùm videas occidens orientis opes.
Ganges, Indus, Tagus, erit mirabile viſu,
Merces commutabit ſuas uterque tibi.
Soli æterno, ac Lunæ decretum.

Continuò ad regem rumor perfertur: qui commenti hujus conſcius, mirabundo ſimilis, optimatibus oſtendit. Illi deſcribendum curant, & mercatorum cura Ulyſſiponenſium per univerſum orbem Chriſtianum evulgant. Sic Hermicus antiquitatis ſimulatione univerſo orbi impoſuit, ſeu potiùs ſtultos antiquitatis admiratores ſolerti aſtu reprehendit, & illuſit. *Caſpar Varrerius in cenſura Beroſi.*

Alfonſus Aragonum rex, Scurram in aula habebat, qui cenſoria virgula ſingulorum dicta, factaque notabat, & tabellis deſcripta Principi ſtato tempore offerebat, ſuo aſcripto judicio, quodnam ſibi ex omnibus ſtultiſſimum videretur. Accidit, ut rex Maurum, ſervum fideliſſimum, cum magna vi auri ablegaret, equorum comparandorum cauſa. Id factum ſcurra literis mandatum, nil minùs expectanti reg in hæc verba recenſuiſſe fertur: Alfonſus rex Chriſtianus, Mahumetanum Pœnum aliquot aureorum millibus onuſtum, ornatum, ad Mahumetanos dimiſit. Exitus acta probabit. Ego verò, ſi bona fide revertatur, Maurum ſtultiſſimum, Alfonſum ſapientiſſimum, ſi non revertatur, quod probabilius eſt, Alfonſum ſtultiſſimum, Maurum ſapientiſſimum, pro ea, qua polleo, cenſoria auctoritate, pronunciare non verebor. *Ægidius Corrozetus de Dictis, & factis memorab.*

Nicolaus, morio Saxoniæ Ducum, cùm inter fratres de dividenda regione ageretur, veſte principali indutus in conſeſſum procerum venit, &, Ecquid placeret? Fridericum Ducem interrogavit Laudante eum Duce, in cubiculum exivit, & forfice veſtem diſſecuit: mox alteram partem indutus, Principi ſe obtulit, &, Nunquid placeret? rogavit. Principe verò factum illius virgis coercendum minitante: Ut libet, exclamavit modò, & te viciſſim virgis cædant, qui diviſione cum fratre inita, pulcriorem hac veſtem dilacerare conaris. *Hieremiæ Mederi acroama.*

Temeritatem.

Lyſander agenti ſecum civi Megarenſi liberiùs in Græciæ concilio: Oratio tua, inquit, urbe indiget. *Plut. in apopb.*

Archidamus Zeuxidami filius, contemplatus filium cæco impetu cum Athenienſibus confligentem: Aut viribus, inquit, adiice, aut ſummitte animos. *Ibid.*

Thebanis de quibuſdam repugnantibus dixerunt Lacones : A Aut minores animi vobis gerendi ſunt, aut plus pollendum. *Plut. in Laconicis*.

Lamachus increpabat quendam ordinum ductorem offenſi cauſa. Qui cùm dixiſſet, poſthac ſe id non admiſſurum: Non licet, inquit, bis in bello offendere. *Idem*.

Cæcilius Metellus firmam arcem aggredi deſtinans, Centurionem (qui ei demonſtrabat, ſi decem tantùm militum faceret jacturam, potiturum eum arce) rogavit, Ecquid unus ipſe ex illis decem eſſe vellet? *Idem*.

M. Cato, cùm milites hominem temerariæ, & projectæ in bello audaciæ laudarent: Multùm intereſſe, ajebat, virtutem, an vitam vilipendas. *Plut. in Pelopidæ proœmio*.

Molliciem, Ignaviam.

Ageſilaus, cùm ſpectaret Laconem in expeditionem iturum claudum, equum quærere: Non intelligis, inquit, non fugientes, ſed manentes in bello requiri? *Plut. in Lacon.*

Pædaretus, cùm quendam vidiſſet ingenio mollem, benignitatis autem nomine à civibus celebratum: Nec viros, ait, fe- B minarum ſimiles, nec virorum commendabiles eſſe feminas, niſi incubuerit mulieri neceſſitas. *Ibidem*.

Cùm objectaſſet Metapontio Lacon ignaviam: Atqui non parùm, inquit, agri alieni tenemus. Cui ille: Ergo, inquit, non ignavi modò, verùm etiam injuſti eſtis. *Ibidem*.

Intemperantiam, Ebrietatem, Crapulam.

Aſtyages Medorum rex cum Mandane filio, & Cyro nepote cœnans, quòd puerum ſuaviſſima cœna excipere cuperet, quo minus domeſtica deſideraret: paropſidas ei, & omnis generis embammata, ciboſque appoſuit. Ibi tum Cyrus dixiſſe fertur: Quantum tibi, me ave, negotiorum eſt in cœna: ſiquidem ad omnia iſthæc fercula manus extendas, neceſſe eſt, atque omnis generis cibos hoſce deguſtes: atqui multò ſimplicior, & rectior apud Perſas via eſt exſatiandi ſe, quàm apud vos. Nos enim eò panis, & caro deducunt: cùm vos eandem nobiſcum ad metam contendentes, perque varia quædam itinera planè flexuoſa ſurſum deorſum errantes, vix tandem perveniatis, quò dudum nos veneramus. Video quinetiam te ab hiſce cibis abhorrere? Nam quando panem C tangis, manum non abſtergis: ſin autem horum aliquid attingas, continuò manum ad mantilia purgas, quaſi perquàm moleſtè feras plenam iis fuiſſe. *Xenophon. de Inſtitut. Cyri, lib.* 1.

Idem per jocum pincernæ fungens officio, vinum pro more guſtare noluit, quòd venenum ineſſe diceret. Aſtyage cauſam rogante, reſpondit: Cùm tu die natali tuo, amicos exciperes, planiſſimè deprehendi, venena Sacam pincernam vobis infudiſſe, cùm vos & animis, & corporibus titubantes viderim. Primùm enim, quæ nos pueros facere prohibetis ipſi committebatis. Nimirum omnes clamabatis, cùm voſmet mutuò planè non intelligeretis. Quin & ridiculè admodùm canebatis: ac quamvis canentem non audiretis, ſacramento tamen confirmabatis, optimè hominem canere. Præterea cùm quiſque veſtrum robur ſuum prædicaret, ut primùm tamen ſaltaturi aſſurgebatis, tantùm abeſt, ut ſaltare poſſetis ad numerum, ut etiam erigi nequiretis. Neque vel tu omninò regem eſſe te memineras, vel illi, quòd imperium tibi in ipſos eſſet. *Xenophon. de inſtit. Cyri, lib.* 1.

Lacon, audito quoſdam à cœna ad notandum compelli: D Num, inquit, ad veſcendum quoque compelluntur? *Plutarc. in Lacon.*

Ammonius, Plutarchi præceptor, in congreſſu pomeridiano, cùm reſciviſſet nonnullos familiares non pranſos ſimplex prandium, filio proprio ut verbera infligeret, juſſit liberto: adiiciens, quòd prandere non poſſet ſine aceto, ſimul in reliquos diſcipulos convertit, ut affines culpæ pungeret caſtigatio. *Plut. de Diſcernendis adulatorib.*

Petrus Berenautus, morio facetiſſimus, Philippo Haſſiæ Lantgravio de capitis dolore ex heſterno mero conquerenti, præſentaneum ſe remedium communicare poſſe dixit. Data fandi copia, hodierna pellito crapula. Tum princeps: At craſtino die graviùs laborabo. Ingurgites ergo te denuò. Quid perindie? Iterùm. Quid poſtridie? Idem. Et quis tandem finis? Ut mei ſimilis, inquit, evadas. *Hierem. Mederi acroama*.

Libidinem.

Cùm occurriſſet Hippocratidæ aliquando adoleſcens, quem affectabatur amator, erubeſcente illo: Cum talibus, inquit, eundem, quibuſcum conſpectus colorem non mutabis. *Plut. in Apoph.*

Hiero Syracuſanus filium, quem relicturus erat dominatus ſucceſſorem, cùm ſtuprum hominis ingenui uxori obtuliſſe E reſciviſſet: inflammatus rogavit eum, Ecquid in ſe tale comperiſſet? Reſpondente adoleſcente: Nempe tu patrem non habuiſti tyrannum: Nec tu, inquit, niſi factis temperes, filium habebis. *Plut. in Regum apoph.*

Mulier quæpiam Philippo regi, qui eam attrahebat nolentem: Mitte me, inquit: omnis mulier, amota lucerna, eadem eſt. *Plut. in præceptis connubialibus*.

Cùm Fridericus in Epiſcopum Trajecti eſſet conſecratus, & in prandio Ludovicus Pius Imp. ad dextram ei aſſidens, monuiſſet illum, ut recentis profeſſionis memor, ſine ullius perſonæ reſpectu, jus Dei in ſua vocatione adminiſtraret: reſpondit ille: Rectè me mones Imperator: ſed quæſo, tua majeſtas dicat, utrùm piſcem hìc appoſitum honeſtius ſit à capite, an à cauda aggredi? Ille ſtatim inquit: Caput præſtantius membrum eſt, inde fiat initium. Epiſcopus ergo ait: Bene dixiſti. Ergo & tu renuncia inceſto matrimonio, quod cum Juditha contraxiſti. Hoc ſermone Imperator motus, uxorem à ſe dimiſit. Juditha indignè ferens Epiſcopi F libertatem in veritate dicenda, per ſicarios eum in templo ad aram curavit interfici. *Ranulphus l. 5. c. 29. & Chronicon. Hirſaugienſe*.

Illiberalitatem, Sordes, Avaritiam.

Pythes, qui regnante vixit Xerxe, cùm fortè reperiſſet auri metalla, totuſque in opibus eſſet ex iis parandis, omni ſtudio alio relicto, & opere, cunctos cives pariter fodere, aut egerere, purgareve aurum compellebat. Uxor ejus nonnullos ex artificibus accerſit, incluſis imperavit, ut aureos panes, bellaria varia, & poma, eſculentaque, ac poculenta, quibus maximè Pythen delectari ſciebat, facerent. Paratis omnibus, cœnam poſcenti marito, auream menſam uxor, atque aurea omnia propoſuit. At ille ſatiatis oculis, cibum poſtulavit. Appoſuit illa rurſus aurum. Indignabundo, & eſurire clamanti, illa: Atqui horum, inquit, nullius præterea nobis copiam paraſti. Semente, plantatione, & paſcendi cura neglecta, effodimus, & quærimus ea, quæ nulli uſui ſunt, enecantes noſipſos, & cives. Quibus Pythes motus, metallorum opus non prorſus reliquit, ſed quintam partem civium incum- G bere ei voluit, reliquos agriculturam, & artificia tractare. *Plut. de Virtutibus mulierum*.

Ariſtippus Platoni objurganti, quòd multos piſces emiſſet, reſpondit, Se illos emiſſe obolo, cùmque Plato dixiſſet, Tanti, & ipſe empturus eram: Vides, inquit, igitur, ò Plato, me non eſſe obſoniorum avidum, ſed te pecuniæ amantem. Idem cùm aliquando perdicem quinquaginta drachmis juſſiſſet emi, cuidam deteſtanti luxum in philoſopho, & tu, inquit Ariſtippus, ſi obolo venalis eſſet, non emeres? Cùm is reſpondiſſet, Se empturum: Et mihi, inquit, tanti ſunt quinquaginta drachmæ. *Laertius*.

Græculus quidam poeta Auguſto Cæſari deſcendenti à palatio, aliquoties honorificum aliquod epigramma porrexerat: at ſemper fruſtra. Cæterùm videns Auguſtus non deſtituturum poetam: epigramma bene Græcum manu ſua deſcripſit, & Græculo ad ſe venienti obviàm miſit, veluti carmina carminibus penſaturus. Græcus acceptum legit, ac non ſolùm voce, verumetiam vultu, geſtuque corporis laudavit carmen, miratuſque eſt. Deinde accedens ad lecticam, qua Cæſar vehebatur, demiſſa in pauperem crumenam manu, H pauculos denarios protulit, Cæſarique obtulit, his verbis: οὐ κατὰ τὴν τύχην τὴν σὴν σεβαστὲ, εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν : Non juxta fortunam tuam: Auguſte, ſi plus haberem, plus darem. Sequuto omnium riſu, diſpenſatorem Cæſar vocavit, & ſeſtertium centum millia Græculo numerari juſſit. *Suetonius in ejus vita*.

Sigiſmundus Imp. iter faciens, torrentem equo traiiciebat. *Vide paulò antè*.

Maximilianus I. Imperator, cùm aliquot munera à Venetis accepiſſet, nempe varii generis pocula, magno quidem artificio, & exquiſitè fabrefacta, ſed vitrea tamen omnia, & deaurata: primùm quidem pro his gratias egit Imperator. Utque porrò intelligerent legati Veneti, non moveri ipſum raritate muneris, quod utilitate precii ſorderet: inſtruxit clàm, qui id agerent, ut pocula omnia quaſi fortuitò de menſa, in qua erant poſita, deturbarentur. Hoc nimirum facto ſignificans, majorem ea gratiam habitura fuiſſe, vel aurea, aut argentea potiùs, quæ corrumpi caſu non potuiſſent, & corrupta nihilominus profuiſſent, quàm vitrea, quæ deſtructa nihil proſunt. *Conradus Bruno l. 5. cap. 21. de Legationibus*.

Luxum

Luxum ædificiorum.

A Ageſilaus in Aſia contemplatus domum quadratis laqueatam trabibus, rogavit Dominum ædium, Num materia naſceretur apud ipſos quadrata? Abnuenti, verùm teres: Quid igitur, inquit, ſi eſſet quadrata, teretem efficeretis? *Plutarch. in Apophb.*

Rhodiorum Stratonicus luſit luxum: qui ædificare dixit eos, ut immortales: obſonari, ut homines vitæ fugacis. *Idem de Cupiditate divitiarum*.

Ambitionem, Superbiam, Jactantiam.

Chilo ſapiens, cùm audiviſſet quendam, qui inimicum jactabat habere ſe nullum, rogavit, An ne amicum quidem habere? *Idem de Util. ex inimicis capienda*.

Archidamus, Ageſilai F. Philippo, qui à pugna ad Chæroneam ad ipſum ſcripſerat aſperiùs, reſcripſit: Si tuæ ipſius umbræ menſuram egeris, haud reperies eam, quàm ante victoriam, ampliorem. *Idem in Apophb.*

Simonides cantilenarum conditor, cùm Lacedæmoniorum B Rex Pauſanias, qui perpetuò res ſuas geſtas jactabat, juberet joculariter, Ut ſibi præceptum aliquod ſapiens daret: poſtquam hominis inſolentiam advertit. Ut meminiſſet, conſulebat, hominem ſe eſſe. *Idem in Orat. conſolatoria ad Apollonium*.

Theopompus hoſpiti jactanti, dici ſe apud cives ſuos Laconum cupidum: Præſtabat, inquit, civium te quàm Laconum cupidum vocari. *Plut. in Apophb.*

Cùm Megarenſis quidam jactaret apud Ageſilaum urbem ſuam. Oratio tua, inquit, adoleſcens, magnas vires requirit. *Idem*.

Timotheus, Duce quopiam feroce vulnus ſuum Athenienſibus monſtrante: Me verò, inquit, puduit, quòd propè me, cùm dux veſter in Samo eram, telum catapulticum decidiſſet. *Ibidem*.

Socrates Alcibiadem intuitus, ob divitias inflatum, & ſuperbientem opibus, prædiiſque, in quendam locum duxit, in quo ſuſpenſa erat Coſmographica tabula, terræ circuitum complexa: juſſitque Alcibiadem, Atticam in ea inquirere. C Quam ut invenit, ſua etiam prædia inſpicere præcepit. Quæ cùm Alcibiades nuſquam eſſe picta diceret: Cur igitur, Socrates inquit, ob illa ſuperbis, quæ circa nullam terræ partem exiſtunt? *Eraſm. in Apophb. ex Ælian. lib.* 1.

Iracundiam.

Titus Annius, nec probitate, nec modeſtia commendatus homo, ſed inter dicendum interrogationum, & reſponſionum incomparabilibus præcellere argutiis habitus, provocavit Tiberium Gracchum Tribunum (poſtquam magno cum nobilium ſtomacho legem agrariam pertulit, & M. Octavium collegam ſibi reſiſtentem magiſtratu privavit) ad ſponſionem, ni ſacroſanctum legibus collegam violaſſet. Obſtrepente plebe exiliens Tiberius advocavit concionem: & cùm juſſiſſet Annium adduci, inſtituit eum poſtulare. Hic verò & facundia, & dignitate longè illi concedens, ad artes ſe recepit ſuas, petivitque à Tiberio, ut pauca ante diſceptationes requirere de eo liceret. Quo dante, ut interrogaret, & ſilentio facto, ait Annius: Si tu maculare me, & dehoneſtare in animo habeas, ego autem aliquam ex collegis tuis appellem, atque ille auxilio mihi fuerit, tu verò ira ſis D incenſus, extorquebiſne ei magiſtratum? ad hanc quæſtionem referunt ita Tiberium hæſitaſſe, ut qui omnium eſſet ad dicendum expeditiſſimus, & projectiſſimus ad audendum, obmutuerit. Ita dimiſit in præſenti concionem. *Plut. in Tiberio*.

Erat Patricius D. Auguſtini pater, ſicut benevolentia præcipuus, ita ira fervidus. Sed noverat Monica uxor non reſiſtere irato viro, non tantùm facto, ſed ne verbo quidem. Jam verò refracto, & quieto, cùm opportunum videret, rationem facti ſui reddebat, ſi fortè ille inconſideratiùs commotus fuiſſet. *D. Auguſt. lib. 9. Confeſſ. c. 9.*

Facilitatem.

Theodoſii Junioris nimiam in ſubſcribendis codicillis facilitatem, cùm etiam literis ſæpiùs non lectis ſubſcriberet, indignè ferens ſoror Pulcheria, curat conſcribi literas, in quibus uxor ipſius Eudocia (quàm mirificè deamabat) petita in ſervitutem tradebatur. Eas non lectas cùm ſuſcriptione confirmaſſet, paulò poſt recitata ſcriptura, gravi objurgatione fratris oſcitantiam correxit. *Socrat. l. 7. c. 22. Theodoret. lib. 5. c. 36. Nicephor. lib. 4. c. 23. & Suidas*.

Maledicentiam.

Neſtor Sophocleus convicio proſciſſus ab Ajace reſ- E pondet.

Non culpo te, malè qui dicis, dum rectè agis.

Plut. in Polit.

Lyſander proſcindenti ipſum cuipiam convitiis reſpondit: Perge ſedulò, hoſpitule, perge, nec quicquam omitte: quòd mala, quibus videris refertus, exhaurire ex animo valeas. *Plut. in Apophb.*

Hiero Syracuſanus Xenophani Colophonio, qui dixit, Ægrè ſervos ſe duos alere: At Homerus, inquit, quem tu, vel ampliùs decem millia alit extinctus. *Ibid.*

Loquacitatem.

Alexandridas illi, qui parum convenientia apud Ephoros, & pluribus, quam ſatis eſſet, verbis dicebat: Hoſpes, inquit, congruo parum congruè uteris. *Plutarch. in Apoph.*

Adulationem.

Juvenis quidam ex Anaximenis oratoris alumnis orationem meditatam cum apparatu in laudem Antigoni Regis habuit. Ibi, ſimulans ſe aliquid non rectè percepiſſe, interrogavit F eum. Obmuteſcente juvene: Quid dubitas, inquit, an non hæc ſcripta ſunt in tabellis? *Plut. in Apophb.*

Lyſander jactanti ipſum à ſe celebrari, ac defendi: Boves habeo, inquit, ruri duos, quibus ambobus ſilentibus, rectè novi inertem, & induſtrium. *Idem*.

Nugacitatem.

Cernens Lacon quidam, Diogenem Cynicum per ingens frigus ſtatuam æream complectentem, rogavit, An rigeret? neganti: Quid igitur, inquit, magni facis. *Plut. in Lacon.*

Eudamidas in Academia conſpiciens grandem natu jam cum diſcipulis philoſophante Xenocratem, accipienſque inveſtigare ejus virtutem, Quando tandem, inquit, eam in opus educet? *Idem*.

Peregrinus, qui Spartæ crepidatus altero pede rectus inſiſtebat, dixit ad Laconem: Haud arbitror te, Lacon, tam diù pede, quàm ego inſtiturum. Qui occurrens: Non ſanè, inquit, ego: verùm ex anſeribus nullus non. *Idem*.

Laon de re quapiam interrogatus reſpondit, Non. Ubi ſubjecit ille, qui requiſierat, Mentiris: Videſne igitur, inquit, G vanum eſſe te, qui ea, quæ ſcis, exquiris? *Idem*.

Leon Eucratidæ Olympiæ curſores de emiſſione laborantes cernens: Quantò acrius, inquit, curſores de pernicitate laborant, quàm de Juſtitia. *Idem*.

Cum vetarent Demoſtheni aliquando Athenienſes verba in concione facere: Pauca habere ſe ait, quæ ipſis referret. Quibus conticeſcentibus: Adoleſcens, infit, ſub æſtatis tempus aſinum Athenis Megaram conduxit. Flagrante meridie ſole, uterque eorum aſini umbra quærebat ſe tegere, repellebatque alter alterum: atque hic locaſſe prætendebat ſe aſinum, non ejus umbram: qui eum conduxerat, omnem ejus uſum ſuum eſſe. Quæ poſtquam narravit, recedebat. Retinentibus eum Athenienſibus, atque ut abſolveret ſermonem rogantibus? Itane verò de aſini umbra? inquit, vultis audire, dicentem de rebus ſeriis non vultis; *Plut. in vita Demoſth.*

Cato major Poſthumio Labieno (alii, Albino) qui hiſtorias Græcè ſcriptitaverat veniam ab auditoribus petente, cavillatus eſt, gratiam faciendam fuiſſe, ſi Amphictionum decreto coactus ſcripſiſſet. *Plut. in Apophb.* H

Incivilitatem, Inurbanitatem.

Cùm Philippus Macedonum Rex ſubhaſtationis quorundam captivorum ſpectator, veſte ſupra genua collecta ſederet: Unus captivorum rogabat: ut eum liberare vellet, quia amici ejus eſſet filius. Petiit Philippus, ut nomen exprimeret. Cui cùm captivus ipſi ſoli id ſe dicturum reſpondiſſet, vicinior factus, hoc unum dixit; Veſtem Rex, quam ſupra genua collegiſti, demitte: neque enim ita ſedendo decorum ſervas. Quo verbo audito. Philippus veſtem demiſit, & captivum ſtatim liberavit. *Fulgoſ. lib. 5. cap.* 2.

Iſaacius Angelus Byzantinus Imper. Friderici Barbaroſſæ in Palæſtinam exercitum ducturi legatos vix domum paſſus reverti, neque eos conſeſſu, ullove alio honore dignatus eſt, ſed æquè, ut alios Græcos ſerviliter aſtare permiſit. At Fridericus poſteàquam legati Græci ad ſe venerunt, non tantùm ipſos ſibi, ſed miniſtros, coquos, & equiſones, vel invitos Domini aſſidere juſſit, hoc ipſo facto exprobrans Græcorum Imperatori inhumanitatem. *Nicetas lib* 2.

Gallus quidam regulus optimatibus convivium æſtate media ſub opaca ulmo apparari juſſerat, ubi muſcarum agmina in

 dapes

dapes, ac vina provolvebantur. Convivæ, quibus animantis A fœditas ſtomachum moveret, mox, ut muſca in poculum ceciderat, vinum ſimul, atque animal effundebant. Ægrè id cernere princeps, jacturamque vini tacitus indignari: nam queri palàm inter magnos, qui aderant proceres, non eſt auſus. Sed quos arguere verbo veritus eſt, exemplo admonuit. Puerum qui flabello muſcas abigebat, ceſſare paululùm jubet. Intereà, & in craterem ſuum muſca incidit. Tum duobus digitis dextram alam inſecti apprehendit, & aliquamdiù ſupra craterem excutiens, ne quid vini adhæreret, in terram projecit. Exemplum convivæ omnes ſecuti. *Æn. Syl. lib.1. Com. in Panorm.*

Superſtitionem.

Phyſicus Xenophanes, cùm cædentes ſe in ſolennibus, & lamentantes conſpiceret Ægyptios, appoſitè admonuit eos, atque. Hi, inquit, ſi dii ſunt, ne planxeritis, eos: ſin homines, ne feceritis eis ſacrum. *Plut. in Superſtit.*

Diogenes ad versùs hos Sophoclis verſus:

Ut ſunt beati verè illi mortalium,
Myſteria hæc qui contemplati, ad inferos
Pergunt. Licet nam his illis ſolis vivere:
At cæteri experiuntur cuncta ibi mala.

B Quid ais? infit. Meliorne erit à fato ſors furi Patæcioni, quàm Epaminondæ, quòd initiatus ſit? *Plut. de Aud. Poetis.*

Diogenes Lacedæmone cùm hoſpitem cerneret inſtruentem ſe ad feſtum quoddam, apparatumque magnificum facientem. Quid nonne vir bonus, inquit, omnem diem ducit feſtum? Certè admodum, ſi ſapimus, ſplendidum. *Plut. de Tranq. animi.*

Porphyrius ad Anebuntem ſcribens Ægyptium, conſulenti ſimilis, & quærenti, prodit artes magicas, & evertit. Et ibi quidem omnes dæmones reprobat: quos dicit ob imprudentiam trahere humidum vaporem: & ideò non in æthere, ſed in aere eſſe ſub luna, atque ipſo lunæ globo. Veruntamen non audet omnes fallacias, & malitias, & ineptias, quibus meritò movetur, omnibus dæmonibus dare. Quoſdam namque benignos dæmones more appellat aliorum, cùm omnes generaliter imprudentes eſſe fateatur. Miratur, quòd non ſolùm dii alliciantur victimis, ſed etiam compellantur, atque cogantur facere, quod homines volunt. Quærit etiam veluti dubitans, utrùm in divinantibus, & quædam mira facientibus animæ ſint potentiores: an aliqui ſpiritus extrinſecus veniant, per quos C hæc valeant; Et potiùs venire extrinſecùs coniicit, eo quòd lapidibus, & herbis adhibitis, & alligent quoſdam, & aperiant clauſa oſtia, vel aliquid ejuſmodi mirabiliter operentur. Quærit item, cur tanquam melioribus invocatis quaſi pejoribus imperetur, ut injuſta hominis præcepta exequantur: cur attrectatum re venerea non exaudiat imprecantem, cùm tamen ipſis ad inceſtos quoſque concubitus quoslibet ducere non morentur: cur ab animantibus ſuos antiſtites oportere abſtinere denuncient, ne vaporibus corporeis polluantur, ipſis verò, & aliis vaporibus illiciantur, & nidoribus hoſtiarum: cùmque à cadaveris contactu prohibeatur inſpector, plerumque illa cadaveribus celebrentur: quid ſit, quod non dæmoni, vel alicui animæ defuncti, ſed ipſi Soli, & Lunæ, aut cuicunque cœleſtium, homo cuilibet vitio obnoxius intendit minas, eoſque territat falsò, ut eis extorqueat veritatem, nam & cœlum ſe collidere comminatus, & cætera ſimilia homini impoſſibilia, ut illi Dii tanquam inſipientiſſimi pueri, falſis, & ridiculis comminationibus territi, quod imperatur, efficiant. Dicit enim, ſcripſiſſe Chæremonem quendam, talium ſacrorum, vel D potius ſacrilegiorum peritum, ea quæ apud Ægyptios ſunt celebrata rumoribus, vel de Iſide, vel de Oſiride marito ejus, maximam vim habere cogendi Deos, ut faciant imperata, quando ille, qui carminibus cogit, ea ſe prodere, vel evertere comminatur: ubi ſe etiam Oſiridis membra diſſipaturum terribiliter dicit, ſi facere juſſa neglexerint. Eo nimirum modo voluit hominem Ægyptium, talibus erroribus deditum, & aliqua magna ſe ſcire opinantem, non ſuperba quaſi auctoritate Doctoris offendere, nec apertè adverſantis altercatione turbare, ſed quaſi quærentis, & diſcere cupientis humilitate ad ea cogitanda convertere, & quàm ſint contemnenda, vel etiam devitanda, monſtrare. Denique propè ad Epiſtolæ finem petit ſe ab eo doceri, quæ ſit ad beatitudinem via ex Ægyptia ſapientia. Illa ipſa numina, cum quibus verſarentur, & ſi de cæteris rebus vera prædicerent, tamen quoniam de beatitudine nihil cautum, nec ſatis idoneum monerent, nec Deos illos eſſe, nec benignos dæmones, ſed aut illum, qui dicitur fallax, aut humanum omne commentum, *D. Auguſt. lib.* 10. *de Civ. Dei, cap.* 11.

Injuſtitiam in genere.

Alexandridas Leontis filius, cuidam, quòd patria extorris E eſſet, languenti: Noli quæſo, inquit, quòd urbem reliqueris, trepidare, ſed quòd juſtitiam. *Plut. in Apophț.*

Rebellionem.

Conrado II. Cæſari Fr. Henricus rebellans profugit ad Regem Hungariæ Stephanum. Is venientem Chriſtiana pietate ſuſcepit, & in die Paraſceves carnes illi propoſuit edendas. Horrebat ille piaculum. Tum Rex in illum converſus: Majoris, inquit, piaculi eſt bono fratri repugnare. Ille admonitus, rediit in gratiam fratris, & Nurembergam ſponte reliquit imperio. *Crantz. lib.* 4. *Saxon. c.* 36. *& lib.* 4. *Metr. c.* 10.

Teſtimonium falſum.

Cùm Silus teſtis læſiſſet Piſonem reum, cui M. Craſſus aderat prolato crimine, quod ſe in eum dictum audiſſe dicebat. Poteſt fieri, Sile, inquit Craſſus, ut is, unde te audiſſe dicis, iratus dixeris? Annuit Silus. Poteſt etiam, inquit fieri, ut tu non rectè intellexeris? Cùm id quoque toto capite annuiſſet Silus, ut ſe Craſſo daret, ſubjecit Craſſus: Poteſt etiam fieri, ut omninò, quod te audiſſe dicis, nunquam audieris? Hoc adeò præter expectationem erat, ut Silum teſtem omnium F riſus obrueret. *Eraſm. lib.* 6. *Apophț.*

Accuſationem injuſtam.

Antiſthenes adoleſcentes Socratem videre cupientes, Philoſophorum omnium ſapientiſſimum, duxit ad Anyti domum: dicens, illum Socrate multò eſſe ſapientiorem, ut qui Socratem accuſaſſet. Et hoc dicto renovatum eſt civibus extincti Socratis deſiderium, & Anytum expulerunt. *Laert. l.* 6. *c.* 1.

Condemnationem injuſtam.

Cùm Athenienſium crudelitatem, qui Socratem innocentem cicutam bibere coegerant, palàm accuſare non auderet Euripides actorem hæc de Palamede in tragœdia, quæ nomine ejus inſcripta eſt, proferentem induxit, ἐκάνετε, ἐκάνετε τὸν ἐπαλώων ἄριστον. Quo audito, omnes, qui in theatro ſedebant, id ad Socratem pertinere ſentientes, collacrymavere.

Philippus Macedo, Machatæ cujuſdam pro tribunali ſedens cauſam cognovit, ſed dormitabundus, nec ſatis attentus ad juris æquitatem: itaque ſententiam tulit adversùs Machætam. Verùm cùm is exclamaſſet, ſe ab ea ſententia ap- G pellare: Rex iratus: Ad quem? inquit (nam appellandi verbum monarchis eſt inviſum) Hic Machætas: Ad teipſum, ò Rex, inquit, ſi expergiſcaris, & attentiùs audias cauſam. Ac tum quidem ſurrexit Rex. Cæterùm poſteaquam cauſam apud ſe meliùs perpendiſſet, intelligeretque Machætæ factam injuriam, judicata quidem non reſcidit, ſed pecuniam, qua damnatus fuerat Machætas, ipſe perſolvit. *Plut. in Apophț. Reg.*

Mulier quædam à Philippo Rege temulento condemnata, dum ad Philippum provocat ſobrium, prudenter condemnationem effugit. *Val. lib.* 6. *c.* 2.

Corruptelam munerum.

Nicoſtratus Argivorum prætor ab Archidamo ſolicitatus, ut magnæ ſummæ præmio, & nuptiarum Lacænæ, quam optaſſet extra regias, præſidium quoddam proderet: reſponſum reddidit, Non eſſe ſtirpem Archidamum Herculis. Quippe luſtrantem terras coercuiſſe improbos Herculem: Archidamum probos improbos facere. *Plut. in Apophț.*

DEFENDERE PRUDENTER INNOCENTIAM H ſuam, aliorumve Crimen intentatum diluere.

Amentiæ ſuſpicionem.

M. Cicero in libello de Senectute inquit, cùm vocatus eſſet in judicium Sophocles à filiis, ut ipſum quaſi deſipientem, removerent à re familiari: recitaſſe illum eam fabulam, quam in manibus habebat, & proximè ſcripſerat, Oedipum Coloneum, quæſiſſeque, Num illud carmen deſipientis videretur? At ſecundùm *Plut. com. an Seni ſit tractanda Reſp.* namque totam fabulam recitavit, neque tempus illud, ac locus hoc patiebatur, ſed tantùm πάροδον ipſius, ac primum chori cantum, quo mirificè commendatur civitas illa, & omnis ager Atticus fertur in cælum ſummis laudibus. Nactus enim Poeta occaſionem aliquam illius rei eam non dimiſit è manibus, ſed plurimum ſtudii poſuit, ut patriam claram multis rebus, magis adhuc illuſtraret: egregieque, quod conatus eſt effecit. Cùm ergo cantilena illa omnibus mirificè placuiſſet, Poeta è foro tunc tanquam è theatro victor, magno cum plauſu, & clamore omnium, qui præſentes aderant, domum perductus fuit. *Victor. lib.* 36. *Var. lect. cap.* 14.

Impu-

Impudicitiæ, Stupri, Adulterii ſuſpicionem.

A Cùm navis, qua Mater Deum ex Peſſinunte Phrygiæ Romam advehebatur, hæſiſſet in Tiberi, nec vi virùm, boumque moveri poſſet, Q. Claudia Veſtalis, quæ adverſo pudicitiæ rumore laborabat, quòd cultus eſſet ſtudioſior, diſcincta zona, & navi alligata, precata deam, ut ſi caſtam ſe noſſet, volens ſequeretur, navem duxit: cui poſteà ſtatua eſt erecta ante ædem magnæ Matris, quæ in ſua baſi ſemper ſtetit, cùm bis fanum illud conflagrarit. *Livius* 2. *de bello Punico. Ovid. in Faſtis, & Val. Max. l. Vives in lib.* 10. *Aug. de Civ. Dei, c.* 16.

Simeones Monachus, accuſatus de ſtupro ancillæ ſui familiaris. Suſpicionem auxit ancillæ confeſſio, ejuſque vox, quòd ſe hominem eſſe, & carnis flammas ſentire fateretur. Abiit poſteà in deſertum, & cùm tempus pariendi inſtaret, parere illa non potuit: Cùm autem Simeon, qui dedita opera redierat, pro ea orare juberetur: dixit eam non parituram, niſi priùs verum patrem oſtendiſſet. Quod cùm illa feciſſet, mox peperit, & Simeones ſuſpicione liberatus eſt. *Evagr. lib.* 5. *cap.* 24.

Henrico VII. Imp. erat primogenitus Joannes ephebus, B cui deſponſavit Spiræ Elizabetham puellam grandiuſculam, & proceræ ſtaturæ, Venceslai ſenioris filii Ottocari, olim Regis Boemiæ filiam, nepotem Rodulphi Regis Romanorum. Verùm quia annos viginti ſuperabat, & corpore grandior erat quàm ſperabatur, ob fornicationis ſuſpicionem diù nuptiæ ſunt dilatæ. Puella innocens, moræ impatiens, ubi hanc falſam intelligit ſuſpicionem, Regem adiit, ſtola ſimplici tecta: Virginitatem meam, inquit, ò Rex, aſpectu corporis mei, & examine honeſtarum approbabo matronarum, nec hinc pedem movebo, niſi ſiniſtram de me ſuſpicionem abiicias, accerſitiſque matronis meam integritatem, quàm falsò violatam ſuſpicaris, ſinceram invenias. Timore perculſus Rex, inducere reginam virginem non potuit, ut abiret, plurimùm ſeſe excuſans de concepta in illam ſuſpicione. Coactus itaque mittere pro matronis, & obſtetricibus, reperta eſt illæſa, & inviolata virgo, maturatæ igitur ſunt nuptiæ, & ſolenniter celebratæ. *Cuſp.*

Taciturnitatem.

Demaratus in conſilio quodam rogatus, Stultitia ne, an inopia dicendi taceret? At ſtultus certè haud queat, inquit, tacere. *Plut. in Apoph.*

Factum ludricum.

Lacon, qui in clypeo inſigne habebat muſcam, eamque C non majorem vera, cùm deridentes quidam dicerent, Hoc fecit, ut lateret: Immò, inquit, ut manifeſtus ſim. Siquidem ita propè hoſtibus admoveo me, ut inſigne, quantum ſit, ab iis conſpiciatur. *Idem.*

Ageſilaus in liberos fuit multò indulgentiſſimus, ac memorant cum parvulis liberis in arundine equitantem domi colludere ſolitum. Conſpectus autem à quodam amico oravit, ne cui id priùs, quàm liberorum ipſe foret pater, enunciaret. *Idem.*

Antonius Eremita cum fratribus in eremo ludebat. Supervenit ex improviſo venator, qui offenſus videbatur eo ſpectaculo. Tum Antonius venatori imperavit, uti intento arcu ſagittam emitteret. Cùm paruiſſet, ille alteram, item tertiam, quartam ſimiliter emittere juſſit. Admirante illo, & nervi laxitatem cauſantes: Sic quoque fratres mei, ſubintulit, intermedia honeſti luſus quiete refocillandi ſunt, ut ad monaſticos labores redeant alacriores. *Gil. Cog. lib.* 6. *Narrat.*

Inconſtantiæ, Levitatis ſuſpicionem.

Cicero, cùm M. Craſſum pro Roſtris laudaſſet magno populi applauſu, & eundem poſt ex eodem loco acribus conviciis inceſſeret: Quid, inquit Craſſus, an non me nuper ex hoc D ipſo loco laudaſti: Laudavi, inquit, ſed exercendi gratia argumentum infame declamans. *Eraſm. lib.* 4. *Apoph.*

Tyrannidis affectatæ ſuſpicionem.

Ædificaverat Romæ ædes magnificas, in Velia, quam vocant, foro imminentem, edito in loco P. Val. cui poſt à publici, ac popularis boni ſtudio inditum cognomen eſt Poplicola. Is ex ædibus cùm deſcenderet in forum, atque in curiam (cui Conſulum, ac primorum urbis virorum mos erat) magno patrum, ac populi comitatu honoris gratia deducebatur. Hæc res Regiæ pompæ ſimilitudinem præ ſe ferebat. Itaque cùm ob hoc ipſum, quodque collegam minimè ſuffeciſſet, in ſuſpicionem veniſſet affectati regni, clàmque à quibuſdam etiam maledictis diſcerperetur: ab amicis admonitus, conſilium eveſtigiò cepit diruendæ domus, quæ magna ex parte cauſam ſuſpicioni videbatur afferre. Nocte igitur intempeſta, domum omnem à fundamentis dirui tanta feſtinatione juſſit, ut illuceſcente jam die ædificium univerſum æquatum ſolo jaceret. E *Florus lib.* 1. *c.* 9. *Epit. Valer. lib.* 4. *c.* 1. *Plut. in vita Plin. de Viris illuſtr. Pontan. lib.* 5. *c.* 1.

Magiæ ſuſpicionem.

C. Furius Creſius è ſervitute liberatus: cùm in parvo admodum agello largiores multò fructus perciperet, quàm ex latiſſimis, & ampliſſimis tota vicinitas: à Spurio Albino Ædile curuli accuſatus eſt. Nam qui poſſit, niſi aut incantationibus utatur, & fruges alienas pelliciat veneficiis, aut aratro quæſitas, furtim noctu ex alieno in ſuum transferat; quod utrumque puberi lege XII. Tabularum capitale fuit. At Furius Creſius cùm non perſuaderet, ideò ſe fertiliore agello frui, quòd præ cæteris eum bene araret, bene coleret, item crebrò ſtercoraret, iſtaque omnia tempeſtivè ageret (nam cur idem non aliis, & ditioribus accidat, qui nullis impenſis, nullis ſumptibus, nulli pecuniæ parcunt?) itaque metuens damnationem, cùm in ſuffragium Tribus oporteret, inſtrumentum ruſticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, bene curatam, ac veſtitam, ferramenta egregiè facta, graves ligones, vomeres ponderoſos, boves ſaturos. Et, Veneficia mea, Quirites, hæc ſunt (inquit) nec poſ- F ſum vobis oſtendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliaſque, & ſudores. Id tum rectè viſus eſt dicere culturam non impenſa, ſed opera conſtare: Ideòque Liciniana illa ſeptena jugera majores, quæſtus antiquis retuliſſe, quàm nunc præberent ampliſſima vernacta. Quare & illud antiquum populus Romanus memoria repetens, Oculus Domini fertiliſſimus in agro eſt: omnium ſententiis reum abſolvi voluit, juſſit. *P. Ærod. ex Plinii Secundi lib.* 18. *c.* 6.

Latrocinii ſuſpicionem.

Bormirius Verſovicenſis, in Poloniam fugiens, manum latronum prædatum ſecum in agros Boemiæ, juxta Glarium ſitos, adduxerat. Non carebat ſuſpicione Caſimirus Rex Poloniæ, quaſi eo conſcio id fieret. Bretislaus Boemorum princeps inſtare, ut exercitus in Poloniam ſcriberetur. Sed evicerunt ſeniores, priùs legati ad Caſimirum irent, qui dedi ſibi latrones ad ſupplicium poſtularent. Caſimirus legatos benignè tractavit, quoad Bormirius, cum aliis triginta anteſignanis, Cracoviam captivus adductus eſt. Tum ad legatos: Cras, inquit, ſuſpicionem de me conceptam revincam. Luce orta captos omnes crucibus ſuffigi curavit, inter quos altiſſimus pependit Bormirius. *Dubrav. lib.* 7.

G *Peculatus ſuſpicionem.*

Phidias Minervæ ſimulachrum ex auro faciendum conduxerat, idemque propter amicitiam Periclis multos habebat infenſos. Pericles Phidiam monuit, ut aurum ita fabricaretur, ac imagini circumponeret, ut omne detrahi, & trutina examinari poſſet, ne furti aliquando poſſet accuſari. Ea res Phidiæ ſaluti fuit: nam à Menone quodam operarum ſocio invidiæ operum cauſa accuſatus, & in carcerem conjectus, publicè condemnari non potuit (quod tamen inimici optabant) ſed clàm tamen veneno ſublatus eſt. *Plut. in Pericle.*

P. Scipio, cùm à L. Scipione ex Antiochenſi pecunia H-S, quadragies ratio in curia repoſceretur: prolatoque eo libro, quo acceptæ, expenſæque ſummæ continebantur, refelli inimicorum accuſatio poſſet: diſcerpſit, indignatus de ea re dubitari, quæ ſub ipſo legato adminiſtrata fuerat. Quinetiam in hunc modum egit: Non reddo P. C. ærario veſtro H-S, quadragies rationem, alieni imperii miniſter, quod meo ductu, meiſque auſpiciis bis millies H-S, uberiùs feci. Neque enim adhuc puto eò malignitatis ventum, ut de mea innocentia quærendum ſit. Nam cùm Africam totam poteſtati H veſtræ ſubjecerim, nihil ex ea, quod meum dicerem, præter cognomen Africani retuli. Non igitur me Punicæ, non fratrem meum Aſiaticæ gazæ avarum reddiderunt: ſed uterque noſtrum invidia magis, quàm pecunia locupletior eſt. Tam conſtantem defenſionem Scipionis univerſus Senatus comprobavit. Sicut & illud factum, quod cùm ad neceſſarium Reipublicæ uſum pecuniam ex ærario promi opus eſſet, idque Quæſtores, quia lex obſtare videretur, aperire non auderent: privatus claves popoſcit, patefactoque ærario, legem utilitati cedere coegit. Quam quidem fiduciam conſcientia illi dedit, quia meminerat omnes leges à ſe eſſe ſervatas. *Valer. Max. lib.* 3.

Carolus IV. Imp. ad ſubigendos Barones, & Nobiles regni Boemiæ, uſus eſt opera, & conſilio cujuſdam Fratris Religioſi de Ordine Ciſtercienſium: nomen illi Theodorico Kagelvvid,

qui in cœnobio Levin fuerat educatus. Cujus cùm eſſet in- A duſtria Regi comperta (ut qui curiam ejus multis annis rexerat) inventi ſunt, qui eum calumniarentur apud Regem, quòd regiam adminiſtrationem non ſatis fide tractaret. Rex hominem jubet adeſſe, cunctis ejus calumniatoribus in conſpectu aſtantibus præfinit illi diem Rex, quo de ſua adminiſtratione calculum ponat. Tum ille, Idipſum verò poſſum etiam hoc momento expedire. Nihilque moratus ait, Ad te veni, Rex ſimplici religionis habitu, & pauculis in loculo denariis : eos mihi permittito: reliqua omnia tua ſunt, tibi habeto. Tum Carolus, facetia ſimul, & facilitate hominis delectatus, ait circumſtantibus. Quis ex vobis eſt, qui talem mihi ſuæ adminiſtrationis rationem reddat? Carior proinde cœpit eſſe Regi: ad Epiſcopatum Mindenſem, inde ad Magdeburgenſem provectus. Etſi utroque relicto, ad Regem rediit. *Crantz. lib. 8. Vand. cap. 32.*

Innocent. VI. Avenione reſidens, Ægidium Epiſcopum Sabinenſem Cardinalem Hiſpanum in Italiam miſerat, qui Pontificis partes contra tyrannos tueretur. Eo negotio feliciter confecto, Pontifex rationem ſumptuum in id bellum collatorum, æmulorum ſuaſu ab eo petiit. Ægidius paratum ſe B fingens, militum magnam manum in campo Viterbienſi Pontifici exhibuit, & carris aliquot præmiſſis, inter quos unus erat claves urbium per deditionem receptarum vehens: Hi ſunt, inquit, in quos theſaurum Eccleſiæ diſtribui, hæc ſunt ſpolia auro redempta. Innocentius conſtantia Ægidii approbata, cariorem quàm unquam anteà habuit. *Hier. Garimbert. lib. 3. de Vitis Pontificum.*

Conſalvus Magnus, apud Regem ſuum Ferdinandum, qui ex Hiſpania Neapolim navigarat, ab invidis graviter delatus, cùm ad Quæſtorum menſam tanquam ad tribunal vocaretur, ut ſumptuum bellicorum, & vectigalium rationes in adverſariis codicibus ærarii, & fiſci annotatas agnoſceret, quoniam expenſi acceptique ſummæ inter ſe comparatæ, magno exceſſu diſpares, ſupputationi minimè congruiſſent: tam ſeverè, quàm lepidè reſpondit, ſe privatas tabulas publicis fideliores continuò prolaturum: quibus multò plus impendiſſe, quàm accepiſſe præclarè oſtenderet, teſtareturque ſe id totum, quod ex juſta ratione ſupereſſet, tanquam jure debitum ab ærario Regio, vel ſi pertinaci lite opus foret, omninò repetiturum. C Protulit autem ſequenti die libellum graviſſimo titulo, ita ut Quæſtoribus ſilentium, pudorem Regi, cunctis verò, qui non eſſent impudentes multum riſum exprimeret. Ante omnia Deo maximo, divis, deabuſque omnibus ad parandum victoriam propitiandis, erogata ſcilicet in egentes, pioſque Sacerdotes, & ſacratas Virgines, qui perpetuis ſupplicationibus vacarent, aureorum nummum ducenta millia ſupra ſeptingentos, & triginta ſex, & regales argenteos novem, expenſa ad judicis caput appoſuit. Secundo autem loco ſubjecit ſexcenta millia, ſupra quadringentos, & nonaginta quatuor, ſecreta manu ſpeculatoribus data, quorum beneficio exploratis hoſtium conſiliis, multas victorias, & denique liberam tanti regni poſſeſſionem eſſet conſecutus. Intellexit argutiam Ferdinandus, infamique negotio ſilentium impoſuit. *Jovius in Conſalvo.*

Teſtimonii dictionem.

Cicero, cùm exprobraſſet ei Metellus Nepos, plures eum teſtimonio ſuo occidiſſe, quam conſervaſſe patrocinio: Nempe, inquit, plus mihi eſt fidei, quàm eloquentiæ. *Plut. in Apophtheg.*

D *Injuſti judicii ſuſpicionem.*

Cùm Ciceroni in prætura dies non plures duos, aut tribus ſupereſſent magiſtratus: Manilium Pompeii familiarem quidam de peculatu detulit. Ei poſtulanti diem, unam ſolam conceſſit Cicero inſequentem. Quæ res offendit populum : quòd reis conſueviſſent prætores non minùs decem dies concedere. Tribunis plebis eum hac de cauſa in Roſtra vocantibus, poſtulata audientia ait: cùm perpetuò in reos fuiſſet, quatenus per leges liceret, æquus, & benignus: durum arbitratum, ſe ſi idem denegaret Manilio. Quæ ergo dies eſſet in prætura ſui juris ſola, eam de induſtria ſtatuiſſe. Neque enim ad alium reiiciendam prætorem cauſam fuiſſe, opem ſi ferre ſtuderet. Hæc oratio mirum quantum populi animum commutavit. Multis enim laudibus cumularunt eum, rogaveruntque, ut defenſionem ſuſciperet Manilii, quod ſubiit Cicero libenter, maximè Pompeii abſentis cauſa : habuitque de integro concionem, in qua acriter factioſos, & Pompeii æmulos perſtrinxit. *Idem in Ciceron. vita.*

Perfidiæ, Proditionis ſuſpicionem.

☞ *Conſule ſub Loco Bellicæ prudentiæ, Fidem ſuam declarare, quatenus ſuſpicionem perfidiæ, & proditionis prudenter effugiunt.* E

Pericles Spartanis Atticam bello Peloponneſiaco invadentibus, reliquit teſtatum apud populum Athenienſium, ſi agri ſui ab hoſte non violarentur (quod futurum ſuſpicabatur, ut ſe civitati ſuſpectum redderent) velle ſe tum omnia, quæcumque intacta eſſent, pro publicis haberi. *Sab. lib. 6. Enn. 3.*

Iphicrates proditionis reus, accuſantibus Ariſtophonte, & Charete, eam ob cauſam, quòd ad Embata, cùm hoſtes delere potuiſſet, navale prælium non inierat : videns judicium in contrariam ſententiam ferri, deſiſtens à dicendo, enſem quodammodo judicibus oſtendit. Ergo ne tota conſpiratione armata circumdaret judicium, abſolutionem omnes ei decreverunt. Poſt victoriam decernente quodam, eum judicibus vim adhibuiſſe: Amens eſſem, inquit, ſi pro Athenienſibus bella geram, pro me non item. *Polyæn. lib. 3.*

Cùm P. Scipio Africanus poſt egregia ſua facta, à duobus Petiliis, vel à M. Nævio Trib. pl. apud populum accuſatus eſſet, quòd à Rege Antiocho pecunia accepta pacis condi- F tiones molliſſimas ei obtuliſſet: die dicto, pauca quædam præfatus: Hic eſt ille dies Quirites, inquit, qua Hannibalem vici, Carthaginenem tributariam feci, patriam maximo periculo liberavi. Eamus hinc in Capitolium, gratias Diis immortalibus acturi. Excitatus his verbis populus, relicto Tribuno, Scipionem in Capitolium comitata, atque inde ad ædes ejus cum gratulatione ſolenni proſecuta, memoriam factorum revocavit. Mox ex urbe profectus eſt in villam ſuam Linternum, ne ad cauſam dicendam adeſſet. *Livius lib. 8. Dec. 4.*

Alphonſus Aragonius Rex, cùm Viracam Alphonſi VI. Caſtulonenſis Regis filiam uxorem duxiſſet, cum ea, quòd parum pudicè viveret, divortium fecit. Ad eam Caſtulonenſis regni, per patris mortem hæreditas obvenerat, & communi nomine eam cum viro poſſederat. Cæterùm cùm dimiſſa in paternum regnum ſe recepiſſet, præfectos munitorum locorum, qui Caſtulonenſi regno fidem obſtrictam habebant, ſibi ſoli tanquam patris hæredi, in poſterùm parere voluit. Petrus Aleres(Roderico Petrus Aſturius) Comes Caſtulonenſis, qui G Aragonio Alphonſo multò ante fidem dederat, rationem inivit, qua utrique fidem datam ſervaret. Loca enim munita, & alia, quæ in manu ſua habebat, Viracæ dedit, cùm jure ei, quæ patris erat hæres, deberentur. Ut verò Aragonio quoque Alphonſo pro fide, quam ei dederat, ſatisfaceret: inſigni Comitum veſte amictus, manè ad eum profectus eſt, cùm omnis purpuratorum numerus adeſſet : & reſte in collum accepta, Regi dixit: Loca omnia, quæ fidei meæ credita erant, quia in Caſtulonenſi regno poſita, reginæ Viracæ, utpote quæ mihi domina eſt, hæreditario jure debebantur, ab ea juſſus tradidi : Verùm, ut noſti, cùm eam duxiſti uxorem, tibi quoque fidem pro eis locis ſacramento obſtrinxi. Itaque pro ea tibi fide corpus meum, manuſque illas, quæ juraverunt, præſens aſſigno, ut pro æquitate, ac juſtitia tua de me ſtatuas. Quam rem cùm Rex, omneſque, qui aſtabant, non ſine ingenti admiratione audiviſſent, Petrus juramento ſolutus eſt. *Fulgoſ. lib. 6. c. 6. Roderic. Toletanus lib. 7. Regum Hiſp. c. 1.*

EXCUSARE PRUDENTER SE, ALIOSVE,
Quoad
ANIMI VITIUM, CRIMEN, ERRATUM, DICTUM, FACTUMVE. Nempe

Stultitiam, Amentiam. H

Antiſthenes frementes cùm vidiſſet in theatro Athenienſes:

Quid turpe, ni videatur ita utentibus?

ſubjecit illico:

Eſt turpe, turpe, etſi videatur ita quidlibet.

Plut. de Audiendis poetis.

Cn. Pompejus Catoni, qui eum perſtrinxit acriter, quòd identidem denunciante ſe Cæſaris opes, & incrementum non è Republica eſſe, ipſe eas auxiſſet, reſpondit: Tua majorem divinationem, mea amicitiam habuere. *Idem in Apopht.*

Accuſatus Juvenis quiſpiam, quòd in menſa intemperantiùs locutus eſſet adversùs Sacerdotem, vocatuſque ob id in jus, atque interrogatus à judicibus, Cur hæc dixiſſet? Si eodem, reſpondit, pacto rurſus in cœnam me invitaverit duodecim etiam Apoſtolos, ſi adeſſent, fuſtibus tractarem. Judices igitur cognito vini vitio, hominem abſolverunt : pœnamque irrogarunt Sacerdoti, ut quatriduum à vino abſtineret. *Adr. Barland. Cent. 1.*

Simile

Simile huic Adoleſcentum Athenienſium, qui per temulen- A tiam Piſiſtratum criminati fuerant.

Timiditatem, Ignaviam.

Xenetus ad cives, qui eum inſectabantur, quòd Imperator fuiſſet: Nempe vobiſcum, cives, *Plut. in Polit.*

Convenerant aliquando Dionyſius II. & Philippus Amynta natus. Proinde cùm in multos alios ſermones, ut aſſolet, delaberentur, tum in reliquis etiam incidebant illa. Philippus Dionyſium rogabat, Quomodo, cùm tantùm regnum accepiſſet à parente, non id defendiſſet, & conſervaſſet? Qui reſpondens: Non, inquit, mirum, quoniam cùm reliqua mihi pater omnia reliquiſſet, fortunam ſolam, quæ ea paraverat, & tutatus fuerat, non etiam tradidit. *Ælian. de Var. hiſt. lib. 12.*

Favorinus Philoſophus, cùm in diſputatione quadam Hadriano (quem patrem appellare ſolebat) ceſſiſſet, admirantibus proximis, Nonne cedam, inquit, ei, qui xx. habet Legiones? *Idem de Var. hiſt.*

Libidinem, Nuptias repetitas.

B Cùm alteram uxorem inſiſteret ducere Piſiſtratus, filiis percontantibus: Nunquid ipſis ſuccenſeret? Minimè, inquit : immò probo vos, atque alios volo mihi naſci tales. *Plutarch in Apoph. & de pietate erga fratres.*

Philippus Macedo, cùm audiſſet ſuccenſere ſibi, quòd ſobolem ex pluribus fœminis quæreret, Alexandrum: Igitur, inquit, cùm multos de regno habeas adverſarios, bonum te, & fortem præſta, ne mei cauſa, ſed tua ipſius, regnum conſequaris. *Idem in Apopht. Reg.*

Prodigalitatem.

Pericles accuſatus, quòd nimis magnam pecuniam profudiſſet in Propylæa, urgente Thucydide, converſus ad populum in ſententiam ſuam traxit univerſum. Quando, inquiens, ſumptus hos ferre gravamini, ſit mihi ipſi expenſum, non Athenienſi populo : meumque operibus nomen inſcribam. Quo dicto, populus noluit civem ad unum transferri eam magnificentiæ laudem, quæ totius eſſet civitatis: & uno conſenſu ſucclamavit, Pergeret jam, neque ullis parceret ſumptibus. *Idem in vita.*

C *Luxum, Cultum.*

Julia Auguſti F. venerat ad patrem licentiore habitu, & oculos offenderat patris tacentis. Mutavit cultus ſui poſtera die morem, & lætum patrem, affectata ſeveritate, complexa eſt. At ille, qui pridie dolorem ſuum continuerat, gaudium continere non potuit. Et quantum, ait, in filia Auguſti probabilior hic eſt cultus? Non defuit patrocinio ſuo Julia, his verbis: Hodie enim me patris oculis ornavi, heri viri. *Macrob. lib. 2. cap. 5. Saturn.*

Cùm apud Venceslaum Regem ineptus quidam odio in Sacerdotes eos de avaritia, luxu, ambitione taxaret, fortè in aulam Regis Sulco præpoſitus Choteſloviæ, ſtipatus equitum, peditumque caterva, venit, Rege diſcumbente. Qui adſtabant, ut Regis animum incenderent: Videſne, inquiunt, Rex, quanto ſuperbiùs, quàm etiam tu, monachus iſte ingreditur? Quin tu pompam illi detrahis, & ad te, quem decet, illam revocas? Sulconem ingreſſum Rex interrogat, Cujuſnam hoc tam frequens eſſet ſatellitium? ut ſi ſuum eſſe reſponderet, mulctaretur. At ille: Quemadmodum, inquit tuus ego ſum, ò Rex, ſic iſti omnes tui ſunt: id quod nuper in D bello Bavarico ſatis declararunt. Sed & hodie mecum in hoc apparent, ut ornamento tibi ſint, &, ſi opus fuerit, contra quoſcunque auxilio. Stabat in menſa Regis patera aurea vino plena: ad eam Rex manu porrecta: Præbibo, inquit, tibi Sulco, ut tu reliquum exhaurias, inſuperque eandem pateram tibi habeas, pignus erga te benevolentiæ meæ. *Dubrav. lib. 23.*

Ambitionem, Ambitum.

Lucullus, cùm ipſe in balnea, cœnas, convivia diurna, variaſque alias delicias, atque inſanas ſubſtructiones, ſecundum res domi, bellique geſtas ſe conjeciſſet: Cn. Pompejo honorum affectationes, & ambitionem præter ætatem exprobrabat. Cui Pompejus, Intempeſtivius eſt ſeni deliciis indulgere, quàm imperare. *Plut. an ſeni tractanda reſp.*

Iracundiam.

In palæſtrico manuum nexu cùm colluctator curioſè collo prehenderet, & detraheret ad terram Laconem: hic, qui cum illo congreſſus erat, minor corpore, momordit illius brachium. Qui ait: Mordes, Lacon, ut fœminæ. Immò, inquit hic, ut leones. *Plut. in Lacon.*

Victis ad Zamam Carthaginenſibus à P. Scipione, decem Legati auctore Annibale miſſi, cùm pacis conditiones Car- E thaginem retuliſſent, ferunt, Giſgonem quendam, paci adverſantem, ſententiam dixiſſe de renovando adversùs Romanos bello. Quæ cùm à multis audiretur, indignatus Annibal, dicentem adhuc hominem ex ſuperiore loco deturbavit. Mox cùm hoc tam audax facinus multitudini diſplicere animadverteret, ſuggeſtum aſcendens: Neminem, inquit, indignari oportere, ſi is, qui à prima pueritia Carthagine profectus, in bello, & armis ætatem egiſſet, urbanas conſuetudines ignoraret. Poſt hæc de conditionibus pacis ita prudenter diſſeruit, ut extemplò Carthaginenſes commoti, accipiendas eas eſſe leges, quas victor, & neceſſitas daret, cenſerent. *Auctor vitæ Annibalis.*

Mendacium.

M. Tul. Cicero cùm emere vellet in palatio domum, & pecuniam in præſens non haberet, à P. Sylla, qui tum reus erat, mutuò H-S vicies clam accepit. Ea res tamen, priuſquam emeret, prodita eſt, & in vulgus exivit: objectumque ei eſt, quòd pecuniam domus emendæ cauſa, à reo accepiſſet. F Tum Cicero inopinata opprobratione permotus, accepiſſe ſe negavit, ac domum quoque ſe empturum negavit. Atque adeò, inquit, Verum ſit, accepiſſe me pecuniam, ſi domum emero. Sed cùm poſteà emiſſet, & hoc mendacium in Senatu ei ab inimicis obiiceretur, riſit ſatis: atque inter ridendum, ἀκοινώνητοι, inquit, homines eſtis, cùm ignoretis, prudentis, & cauti patrisfamilias eſſe, quod emere velit, empturum ſeſe negare, propter competitores emptionis. *Gell. lib. 12. c. 12.*

Impietatem, Hæreſim.

Demonax Philoſophus accuſatus, eo quòd Cereris Eleuſiniæ ſacra contempſiſſet, ſeipſum excuſavit, probans, quòd jure ea ſacra contemneret, quæ ſecreta eſſent, utpote ſuſpecta : omninò autem manifeſtari oportere, ut ſi bona eſſent, alios inducerent: ſi mala, ut caverent. *Volat. lib. 15. Anthrop.*

Phryne meretrix Theſpienſis, cùm condemnationem judicum vereretur, ſublatis tunicis corpus denudavit, cujus pulchritudine permoti judices, liberam abire permiſerunt. *Quintil. & Pauſan. lib. 1. At Plut.* Hyperidis eam defendentis hoc commentum fuiſſe, ſcribit.

Injuſtitiam. G

Celebratur Jaſonis, qui apud Theſſalos dominatus eſt, ſententia, quam uſurpabat ſemper, cùm aliquos læderet, vel premeret: Neceſſe eſſe, in parvis, ut delinquerent, qui in magnis rectè agere vellent. *Plut. in præceptis Polit.*

Polydorum Alcamenis, ſigna inferentem Meſſeniis, interrogavit quiſpiam, Fratreſne oppugnatum iret? negavit, ſed ad vacuam poſſeſſore partem agri pergere. *Plut. in Apoph.*

Legum contemptum.

Epaminondas Thebanus reverſus è Laconia, capitis arceſſebatur, quòd Bœotarchiam quatuor integros menſes contra legem geſſiſſet. Collegam igitur Pelopidam juſſit, ut in ipſum culpam derivarent, quòd eos invitos coegiſſet. Ipſe verò in curiam ingreſſus, non meliores rebus geſtis rationes habere ſe dicebat: & ſe quidem interfici poſtulabat, verùm inſcribi columnæ, quòd nolentes repugnanteſque Thebanos Epaminondas coegerit, ut Laconicam, quingentis ante annis intactam, ab hoſtibus incendio, ferroque vaſtarent, & ut ædificaret iterum Meſſanam, trecentis at- H que triginta annis deſolatam: quòd Arcades bello in ſocietatem compulerit, & Græcis libertatem reſtituere coegerit. His auditis, pudore affecti judices, liberum pronunciarunt. Cùmque regrederetur è curia, & Melitenſis catellus blandiretur cauda, dixiſſe fertur ad præſentes: Hic mihi, inquiens, pro beneficio gratiam reponit: at Thebani, de quibus ſæpè, multumque ſum præclarè meritus, mortem mihi judicio inferre voluerunt. *Ælian. de Var. hiſt. lib. 13. & Plut. de Sui laude.*

Perfidiam.

Sigiſmundus Imperator Pragam reductus, Huſſitis ſimul, & Catholicis ampliſſ. quæque promiſerat. Cæterùm cùm Huſſitas clàm oppugnaret, eoque nomine ſacramenti dati admoneretur, ita reſpondit: Si quis habens ſponſam, cum altera contrahat ſponſalia, per eandem, quam priùs, obligationem, utri illarum plus debebit? priori, an poſteriori? nonne, ut omnia jura habent, priori? Priùs igitur ergo Romanæ ſponſæ, quàm Boemæ, fidem obligavi meam : & tamen in utraque ita mihi à promiſſis conſto, ut neutra de me queri jure poſſit. *Dubravius lib. 27.*

Defectio-